




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 P
8

CONSTITVTIONES CANONICORVM REGVLARIVM LATERANENSIVM

Domus Calisſienſis S. Nicolai.

Olim iuſſu piæ memoriæ Vincentij Coti Archiepiſcopi Gneſnenſis S. R. E. Cardinalis conditæ,

Nunc autem authoritate Ill.mi, & Reu.mi Principis, ac Domini

D. ANDREÆ COMITIS A LESZNO

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Gneſnenſis, Legati nati, Regni Poloniæ Primatis, primique Principis recognitæ.

Et iuxta Sacroſancti Concilij Tridentini, ac Summorum Pontificum Reformationis Regularium decreta, correctæ

Per

STEPHANVM DAMALEVICZ S.T.D. Eccleſiæ S. Nicolai, & dictæ Domus Præpoſitum.



ROMÆ,

Typis Reu. Cameræ Apoſtolicæ. Anno Domini 1655.

Superiorum permiſſu.

IN ARMA GENTILITIA Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini.

Ferre Aquilæ dignus fulmina solus Olor.



Sarmatis ales ait, domui vicina Tonantis,
Quid, quod in alta, facit, sidera tollor? Echo, ***Olor.***
Tun' mihi Diua Themis reples præcordia? Echo, ***Dia,***
Me fore felicem tu quoque reris? Echo, ***Eris,***
Cuius at auspicijs Lechidæ hoc sunt omine digni?
Echo, *Cygni. Cygnus erit lene leuamen?* Echo, ***Amen.***
Cygne meos cantu haud frustra solate labores,
Pro Ioue, quæ tulimus tela, tuere vigil.

ILLVSTRISS.^MO ET REVER.^MO Dño

D. ANDREÆ TRZEBICKI

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Premyslienſi.

Regni Poloniarum Procancellario, Abbatiæ celeberrimæ Ceruenſcenſis, Canonicorum Regularium Lateranenſium perpetuo Adminiſtratori, Domino, & Patrono Clementiſſimo perpetuam felicitatem.



Boriginum Cygneorum antiquitas, ita calamos & ingenia fatigauit ſeculorum, vt vniuerſi penè ſcriptores, qui eorum glorioſam faſtis intulerunt memoriam, Herculis, Atlanti cœleſti ſerendæ ſphæræ ſubſtituti onus, in ea celebranda perſentiſcere videantur. Etenim quod Naſo vetuſtatem originis Arcadum perſpicaci mentis inueſtigans acie, vltraque lunæ orbem, & ſupra Iouis imperium audacter curioſum caput, extra ſolis annique vias attollens, occinit:

Ante Iouem priſci terras coluiſſe feruntur
Arcades & luna gens prior illa fuit.

hoc potiori iure, antiquitati Cygnorum ſupputator non incurius temporum, ab hominum memoria remotiſſimæ attribuendum eſſe cenſuerit. Longo nimirum ſeculorum tractu, lunatis Romanæ nobilitatis calceis, candoris olorini gloria præluxit, & ſynchronos ipſi Saturno Latium

moderanti, aureo seculo felix; Iouem parenti aduersum, dignitate pietatis, ac bellicæ fortitudinis celebritate, pia pro Troianis hospitibus bella gerens, superauit: cuius immortale decus cygneo cantu, Rex & amor Poetarum Maro, posteritati hoc elogio commendauit:

Non ego te Ligurum Ductor fortissime bello
Transierim Cygne, & paucis comitate Cupauo:
Cuius olorinæ surgunt de vertice pennæ.

Nec immeritò Mantuanus Vates victrici galeæ glorinæ tropheа præfigit: ea quippe sola splendidam meretur gloriam victoria, cui ab innocentia, & candidæ mentis integritate, plurimum est præsidij. Huic fortiter institerunt in Martis adorea tramiti, verè fortes, verè gloriosi Cygni, vt nunquam se cruore contaminarent hostili, nisi quando, & quantum candidæ pacis integritas, munimentum ab armis deposceret. Antecesserunt ij dudum lunatis Amazonum peltis, & quidquid luna terris gloriæ, ac luminis infudit, primi ante alios heroas exceperunt; vt nec Phryxæum vellus, Martis puluinari deuotum, pacatiùs, quàm Cygnea pluma debuerit conquiescere. Nam siue illud, nullo vnquam æstimatas pretio diuitias, siue aureum priscæ nobilitatis iubar, fabuloso Poetarum obtexerit mysterio, omni tamen admirandis æuo, Cygnorum ornamentis, pretiosè prolusit. Torquet Olor hactenus obliquos inuidentiæ liuentis hirquos, natiuo semper splendore per Ausoniæ fines coruscus, & à Liguriæ nido, cuius caput est excelsa nobilitate Genua, in remotissimas regiones gloriæ immortalis sequaces educens pullos, immotus in antiquissima patria Ligustici sanguinis hæres; qui maximè inter præcipua Mediolanensis, & Senensis nobilitatis decora, gemmeas explicat opes in templis, atque aris ædificandis, instaurandis, exornandis: ita vt pretiosissimam hanc gloriæ sortem ab ardenti propagandi cultus diuini studio profectam, hære-

ditario

ditario planè iure successuræ videatur posteritati transcripsisse. Atque si vsquam in vero hærede genuinam successionis indolem expressit heroica Gygneæ Domus magnificentia, in orbe profectò Sarmatico immortale fixit profusæ liberalitatis in templa, cœtusque religiosos, trophæum, Petro Dunino Sleżynensi Comiti, Maioris Poloniæ Generali Gubernatori, qui septuaginta septem in Poloniarum Regno ædificator, & complurium ex his, etiam dotator insignis, fuisse memoratur. Magna fuerit hæc Dunineі Cygni gloria, è sinubus Danicis ad amnes Polonicos anhelantis, & opulentas in sacra loca exonerantis gazas, Cygnearum tamen virtutum, pietatis, & beneficentiæ, fortitudinis, & sapientiæ Trzebicianus Olor antiquior hæres est, vtpote qui aduentantem illum è Dania, iam non nouus incola Poloniæ, diu ante in ora Syradiensi vorticosos Vartæ sinus premens, hospitali consuetudine maiorum excepit, & salutauit. Nempe ab Illustrissimorum Comitum Schuanbergensium de Germaniæ confinibus Bohemicæ ditioni montibus, Tuus hic Olor Præsul Illustrissime, vt monumenta ferunt Alemanica, per sinuosos Danubij anfractus, felici alueo in campos Polonorum enatauit, & desiderato candore Aquilæ nostræ in salutari se baptismatis vnda immergentis oculos, Fidei Christianæ radijs illustratos, iucundè serenauit, Comes Dambrouçæ, Bohemiæ Regis filiæ, primi Polonorum Christiani Principis Mecislai sponsæ, & religionis Orthodoxæ plantatrici, adiunctus. Profectò sine inuidia, quod eruditus nostri seculi author Illustrissimis Platonicæ, atq; Lauagnæ Comitum prosapijs Tuo Cygno contemraneis olim, adscribit elogium, antiquissimæ, simul Tuæ, ac nobilissimæ genti apprimè conuenit. *Tuum inter has emicat stemma nedum viris, domi forisq; & toga, & sago clarissimis gloriosum: Verùm, & ita fortunatum, vt dijs ipsismet immortalitatis obcæcata vetustas acceptum referat.* Præclarum est, generoso

Petrus Andr. Cannober. liber 1. de curiosa doctrina cap. 14.

Maiorum sanguine partum tueri decus, at longè præclarius meritis in Ecclesia Dei, & Republica singularibus extentū, propria virtute propagare? Fecerunt illud strenuè Maiores Tui Zauissij, Præsul Illustrissime, quanquam semper; tamen fortissimè in exercitu Casimiri Jagellonidæ Regis dimicantes. Tibi verò peculiaris labor est, amplissimis virtutū meritis in sublime niti, & sub alis Aquilæ perspicaci consilio, incolumitati Patriæ prospicere. Tua Te hic stitit virtus, quo Te Serenissimi, ac Potentissimi Ioannis Casimiri Regis nostri, ac Domini Clementissimi, benignitas, & liberalitas prouexit. Viuat felicissimè sapientissimus, ac Inuictissimus Rex, qui eximijs Tuis dotibus Ecclesiam Dei, Rempublicam, & Ordinem nostrum Apostolicis innixum institutis, firmauit, muniuit, illustrauit: largè, fideles vigilantis Cygni excubias, inuictam in laboribus animi fortitudinem, ac perpetuum gloriæ Casimirianæ studiū remuneratus.

Magne Tuum, CASIMIRE decus laudumq; trophea

Cantantes sublimè ferent ad sidera Cygni.

Cygneæ interim, ego nostri Apostolici Ordinis antiquitati gratulabundus, ab Aquilæ candidæ beneuolo aspectu fortunatum prosperitatis omen præsagio, & auguror; atq; ideo maiore fiducia Canonicorum Lateranensium Regularium antiqua statuta a piæ memoriæ Vincentio Coto, Archiepiscopo Gnesnensi S. R. Ecclesiæ Cardinali quondam condita, nunc verò authoritate Illustrissimi, & Reuerendissimi Principis, ac Domini D. Andreæ Comitis a Lezno recensita, & secundùm Sacrosancti Concilij Tridentini Summorūq; Pontificū decreta, correcta, Tuo Cygno illustrata, Candidi nostri Ordinis studiosis obtutibus exhibeo, nihil sub candore Tuo nycticoracum obliquos, quibus lux inuisa est, hirquos, aut liuentes Zoilorum oculos extimescens. Tu verò Antistes Illustrissime inter triumphantium Tua virtute amicorum faustos applausus, non de-

dignare hoc speculum vitæ Canonicæ ab Hipponensi Præsule concinnatum, & sacrorum Canonum, ac sanctæ Sedis Apostolicæ decretorum lima expolitum, benignus intueri, ad quod Candidi Tui gregis vitam, & officia religiosæ stationis explores. Viue diu Præsulum decus, & singulare Cygneæ gentis ornamentum.



Vouet clientum minimus

Stephanus Damalewicz.

Si Decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu, atque incuria estis arguendi: Si verò habetis, & non obseruatis, de temeritate estis corripiendi, & increpandi. Dist. 20.



Iolatores Canonum voluntariè, grauiter à Sanctis Patribus iudicantur, & à sancto Spiritu instinctu, cuius ac dono, dictati sunt, damnantur; quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem Sacros Canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid, aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt: talis enim præsumptio manifestè vnum genus est blasphemantium Spiritum sanctum, quia contra eum agit, cuius nutu & gratia sancti Canones editi sunt 25. q. 1. Nulli fas est vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestram sequi oporteat charitatem. Sit ergo dolore ruinæ suæ prostratus, quisquis Apostolicis voluerit cõtraire præceptis, nec locum deinceps inter Sacerdotes habeat, sed exors à Sancto fiat ministerio, nec de eius iudicio quisquam postea curam habeat, quoniam iam damnatus à Sancta, & Apostolica Ecclesia sua inobedientia, atque præsumptione, à quoquam esse non dubitetur, quia maioris excommunicatione est abijciendus, cui Sanctæ Ecclesiæ commissa fuerit disciplina, quia non solùm præfatæ Sanctæ Ecclesiæ iussionibus parere debuit, sed etiam alijs ne eas præterirent insinuare. *Dist.* 19.

ANTI-

ANTIQVA

Domus Calissiensis, ad S. Nicolaum Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis secundùm Sacrosancti Concilij Tridentini, & Summorum Pontificum Constitutiones, ac Decreta, correcta

STATVTA

Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Tertio, die Mercurij, nona mensis Iulij Squiernieuicijs.

CORAM Actis præsentibus Illustrissimi Principis, & Reuerendissimi Domini D. Andreæ Comitis de Lesno, Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopi Gnesnen. Legati nati Regni Poloniæ Primatis Primique Principis comparentes personaliter, A. R. D. Stephanus Damalewicz S. T. D. Ordinis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Ecclesiæ Sancti Nicolai Domusque Canonicalis Calissien. Præpositus, RR. DD. Albertus VVleniez Prior, & Adamus Niesobowiez dictæ Congregationis, & Domus Canonicus, tanquam ad causas inter præfatum A. R. D. Præpositum, & Communitatem eiusdem Domus Calissien. tam ordinaria, quàm Apostolica authoritate, coram iudicio suæ Illustrissimæ Celsitud. tractandas, capitulariter missi, considerantes, quàm incongruum sit, Viros, qui se mutua charitate diligere, & alter alterius iuxta Apostolum onera portare debent, discordiæ seminarium excitari, omnes differentias, quomodolibet inter se ortas, & hucusque continuatas in charitate complanare, & sopire constituerunt, ac propterea deliberationis expeditione in causa, & causis per Sanctiss. D. N. D. Innocentium Decimum Papam feliciter modernum, de Data Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die vigesima prima Ianuarij, Anno Domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo Tertio, Pontificatus Suæ Sanctitatis anno nono, per literas speciales in forma Breuis suprascripto Illustrissimo Domino Archiepiscopo commissis, per eundem Illustrissimum facienda, non expectata, & rigorem executionis spontanea submissione præuenientes, vltro & beneuolè,

ver-

verbisque expressis, tam dictus Praepositus, quàm memorati Canonici suis, & totius Domus Calissien. nominibus, Regulam Sancti Patris Augustini, tanquam Vitae suae religiosae normam, Statutaque antiqua pro Canonicis dicta Regula, & Domus Calissien. salubriter condita, & obseruari solita, in quantum cum Decretis SS. Concilii Trident. & Constitutionibus Apostolicis, Synodalibusque Prouinciae concordant, & non aliàs, tum & Decreta, & Ordinationes praefati Concilii Tridentini, pro Reformatione Regularium sacrosanctè sancita, in omnibus, & per omnia se obseruaturos submiserunt. Quod si contra praemissa aliquis ex Canonicis deliquerit, vel praefatae submissioni suae in aliquo contrauenire praesumpserit, eundem Praepositus in Capitulo, iuxta praescriptum Regulae Statutorum, & dicti Concilii puniet; Si autem (quod absit) totum Capitulum aduersus praemissa, vel aliquid eorum, repugnauerit, A. R. D. Praepositus pro tempore existens, pro remediis iuris opportunis ad Illustrissimum D. Loci Ordinarium, vel immediatum Superiorem recurret. Occurrente verò aliqua per praefatum A. R. D. Praepositum contrauentione, ad praelibatum Illustrissimum, totum Capitulum, & singulae personae, obtento maioris partis consensu, liberum semper habebunt recursum. Quam quidem complanationem, & submissionem, in praesentia infrascriptorum DD. factam partes manibus suis subscripserunt. Stephanus Damalewicz S. T. D. Congregat. Lateranen. Regularium Canonicorum Domus Calissien. ad S. Nicolaũ Praepositus Mp. Albertus Wielewicz Domus Canonicae Calissien. Lateranen. Prior, suo & totius Conuentus nomine, Adamus Niesobowicz Canonicae Domus Professus eiusdem Commissionis socius. Praesentibus PerIllustribus, & Admodum RR. DD. Martiano Wituski, Scholastico Gnesnen. Canonico Cracouien. Illustrissimi Principis, & Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Gnesnen. Cancellario, Bartholomaeo Lempicki, Gnesnen., Vladisl. Louicien., Canonico, Felice Rzeszowski Custode Culmen., Canonico Plocen. suae Illustrissimae Celsitud. Succamerario, S. R. M. Secretariis, & me Ioanne Borucki Prothonotario Apostolico causarum Curiae suae Illustrissimae Celsitud. Notario.

Ex Protocollo Actorum Curiae suprascripti Illustrissimi Principis, & Reuerendissimi Domini D. Archiepiscopi Gnesnen. extractum, & sigillo suae Illustrissimae Celsitud. communitum, & obsignatum.

Locus † sigilli.

Ioannes Vladislaus Borucki Prothonotarius Apostolicus Causarum Curiae suae Illustrissimae Celsitud. Notarius.

TA-

TABVLA CAPITVM.

36 De

APPROBATIO.

NOs infrascripti DD. ex commissione speciali Reuerendiss. P. Fr. Raymundi Capisucchi Magistri Sacri Palatij Apostolici, præsentes Domus Calissiensis Canonicorum Lateranensium Constitutiones à R. D. Stephano Damaleuicz S.T.D. Calissiensi Præposito correctas vidimus, & diligenter legimus, quas, quia Sacrosancti Concilij Tridentini, & Clem. VIII. Reformationis Regularium, quæ apud nos in viridi sunt obseruantia, decretis, aliorumq. Summorum Pontificum Constitutionibus, conformes comperimus, proinde prælo dignas censuimus. In Canonica nostra S. Mariæ Pacis in Vrbe 10. Calend. Martij Anno Domini 1655.

D. Fabianus Landus Abb. S. Mariæ Pacis Cong. Lat. *Proc. gen.*
D. *Carolus Ant. Archiatus Canonicus eiusdem* Cong.

Imprimatur, Frater Dominicus Manettus Magister, & Socius Reuerendiss. P. Fratris Raymundi Capisucchi S. P. Ap. Magistri, Ordinis Prædicatorum.

REGVLA

SANCTI PATRIS

AVRELII AVGVSTINI

EPISCOPI HIPPONENSIS,

CANONICORVM REGVLARIVM

REFORMATORIS.

C A P. I.

DE FRATERNA CONCORDIA, & Rerum Communione.



ÆC sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus, in Monasterio constituti.

1 Primum, propter quod estis in vnum congregati, vt vnanimes habitetis in domo & sit vobis cor vnum, & anima vna in Deo.

2 Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.

3 Et distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes; sed vnicuique sicut opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia *erant eis omnia communia, & distribuebatur singulis, prout cuique opus erat.*

Act. 4. 32. & 35.

4 Qui aliquid habebant in sæculo; quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune.

5 Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt.

6 Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur: etsi pauperies eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire.

7 At non ideò putent se esse felices, quia inuenerunt victum, & tegumẽtum, quale foris inuenire non potuerunt: nec erigant ceruicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant, & terrena, ac vana non quærant: ne incipiant Monasteria esse diuitibus vtilia, non pauperibus; si diuites illic humiliantur; & pauperes illic inflantur.

8 Sed rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt; magis autem studeant non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ de suis facultatibus aliquid contulerunt; nec de suis diuitijs magis superbiant, quia eas Monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur. alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant; superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperem fieri; si anima misera superbior efficiatur contemnendo, quàm fuerat possidendo?

9 Omnes ergò vnanimiter, & concorditer viuite, & honorate in vobis inuicem Deum, cuius templa facti estis.

CAP.

CAP. II.

DE ORATIONE.

1 ORationibus instate, horis, & temporibus constitutis.

2 In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, vnde & nomen accepit: vt si aliquid, etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint; non eis sint impedimento, qui ibi aliud agere voluerint.

3 Psalmis & Hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.

4 Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est, vt cantetur, non cantetur.

CAP. III.

DE CIBI, POTVSQVE VSV, ET ABSTInentia pro valetudinis, ac virium ratione,

1 CArnem vestram domate ieiunijs & abstinentia escæ, & potus quantum valetudo permittit.

2 Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.

3 Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite: nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures percipiant Dei verbum.

4 Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu; non debet alijs molestum esse, nec iniustum videri, quos fecit alia consuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi: sed sibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

5 Et si eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monasteriũ, aliquid alimentorum, vestimentorũ, stramentorum, operimentorum datur, quod alijs fortioribus & ideò felicioribus non datur; cogitare debent quibus non datur, quantùm de sua sæculari vita illi ad istam descenderit, quamuis vsque ad aliorum, qui sunt corpore fortiores, frugalitatem peruenire nequiuerint. Nec illi debent conturbari, quod eos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere: ne contingat detestanda peruersitas, vt in Monasterio, vbi quantum possunt, fiant diuites laboriosi, fiant pauperes delicati.

6 Sanè, quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne grauentur; ita post ægritudinem sic tractandi sunt, vt citiùs recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerunt: tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo.

7 Sed cùm vires pristinas recuperauerint, redeant ad feliciorem consue-

A 2 tudi-

tudinem suam, quæ famulos Dei tantò ampliùs decet, quantò minùs indigent: nec ibi eos teneat voluntas iam vegetos, quò necessitas leuarat infirmos.

8 Illi se existiment ditiores, qui fuerint in sustinenda parcitate fortiores. Melius est enim minùs egere, quàm plus habere.

CAP. IV.

DE HABITV ET COMPOSITIONE Corporis.

1 NOn sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.

2 Quando proceditis simul ambulate: cum veneritis, quò itis simul state.

3 In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestrā deceat sanctitatem

CAP. V.

DE CONTINENTIA OCVLORVM.

1 OCuli vestri, etsi iaciuntur in aliquam, figantur in nullam.

2 Neque enim, quando proceditis, fœminas videre prohibemini; sed appetere, aut ab ipsis appeti velle.

3 Nec solo tactu, sed affectu quoque & aspectu appetitur, & appetit aliquis.

4 Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cum se inuicem sibi, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore; etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus.

5 Nec putare debet qui in fœminam figit oculum, & illius in seipsum diligit fixum, non ab alijs videri, cùm hoc facit: videtur omninò, & à quibus videri non arbitratur.

6 Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet de illo superno inspectore, quem latere nihil potest? An ideò putandus est non videre, quia tantò videt patientiùs, quantò sapientiùs? Illi ergò timeat vir sanctus displicere, ne velit fœminæ malè placere: illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam male videre. Illius namque & in hac causa commendatus est timor, vbi scriptum est, *Abominatio est Domino defigens oculum.*

CAP.

CAP. VI.

DE RATIONE ADMONENDI, CORRIPIENDI, & COERCENDI DELINQUENTES.

1 QVando ergo simul estis in Ecclesia, & vbicumque vbi & fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo vos custodiet ex vobis.

2 Et si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete: ne cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur.

3 Si autem, & post admonitionem iterum, vel alio quocumque die, idipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat, quicumque inuenire potuit hoc; prius tamen & alteri, vel tertio demonstratum, vt duorum, vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri.

4 Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari; nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergò potiùs eum debes manifestare, ne perniciosiùs putrescat in corde.

5 Sed antequam alijs demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit; priùs Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi: ne fortè possit secretiùs correptus, non innotescere cęteris.

6 Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij, vt iam coram omnibus possit non ab vno teste argui, sed à duobus, tribusue conuinci.

7 Conuictus verò secundùm Præpositi arbitrium, debet emendatoriam sustinere vindictam.

8 Quam si ferre recusauerit, etsi ipse non abscesserit, de vestra societate proijciatur, non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.

9 Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandisque peccatis diligenter obseruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.

10 Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliqua litteras, vel quælibet munuscula accipiat; si hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo: si autem deprehenditur, atque conuincitur, secundùm arbitrium Præpositi grauiùs emendetur.

CAP. VII.

DE VESTIBVS.

1 VEstes vestras in vno loco habete, sub vno custode, vel duobus, vel quotquot sufficere poterint ad eas excutiēdas, ne à tinea lædātur.

2 Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario.

3 Et si fieri potest, non ad vos pertineat, quod vobis induendum pro tēporis congruentia, proferatur, vtrum hoc recipiat vnusquisque vestrum, quod deposuerat, an aliud, quod alter habuerat: dum tamen vnicuique quod opus est, non negetur.

4 Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, & conqueritur aliquis, deterius aliquid se accepisse, quàm priùs habuerat; & indignum esse, qui non ita vestiatur, sicut alius frater eius vestiebatur: hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.

5 Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod posueratis; in vno tamen loco, sub communibus custodibus, habete quod ponitis.

6 Ita sanè, vt nullus sibi aliquid operetur, siue vnde induatur, siue vbi iaceat, siue vnde cingatur, vel operiatur: sed omnia opera vestra in commune fiant, maiore studio & frequentiori alacritate, quàm si vobis propria faceretis. Charitas enim, de qua scriptum est, *quòd non quærit, quæ sua sunt*, sic intelligitur, quia communia proprijs, non propria cōmunibus anteponit. Et ideò quantò ampliùs rem communem, quàm propriam, curaueritis, tantò ampliùs vos profecisse noueritis: vt in omnibus, quibus vtitur transitura necessitas, superemineat quę permanet charitas.

1. Cor. 13. 6. 5.

7 Consequens ergò est, vt etiam illud, quod suis, vel filijs, vel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis, aliquis vel aliqua contulerit, siue vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum; non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in commune redactum, cum necessarium fuerit præbeatur.

8 Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condēnetur.

9 Indumenta vestra secundùm arbitrium Præpositi lauentur, siue à vobis siue à fullonibus: ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

CAP. VIII.

DE CVRA ÆGROTANTIVM.

1 LAuacrum etiam corporis cùm infirmitatis necessitas cogit, nemini denegetur.

2 Fiat sine murmure de consilio medici, ita vt, etiam si nolit, iubente Præposito faciat, quod faciendum est pro salute.

3 Si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur: ali-

aliquando enim, etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat.

4 Denique si latens est dolor in corpore famuli Dei, dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.

5 Sed tamen, vtrùm sanando illi dolori, quod delectat, expediat; si non est certum, medicus consulatur.

6 Nec eant ad balneas, siue quocumque ire necesse fuerit minùs quàm duo vel tres.

7 Nec ille, qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus ipse voluerit, sed cum quibus Præpositus iusserit, ire debebit.

8 Aegrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate etiam, siue febribus laborantium, alicui debet iniungi; vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse perspexerit.

C A P. I X.

DE IIS, QVI CELLARIO, VESTIBVS, Et codicibus præponuntur.

1 Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis.

2 Codices certa hora, singulis diebus, petantur: extra horã qui petierint, non accipiant.

3 Vestimenta verò, & calceamenta, quando fuerint indigenti necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

C A P. X.

DE LITIBVS CAVENDIS, AVT SI EMERserint, sopiendis.

1 Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis: ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam; secundùm quod scriptum est, *Qui odit fratrem suũ, homicida est.* 1.Ioan.3.15

2 Quicumque conuicio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu alterum læserit, meminerit satisfactione quantocyùs curare quod fecit; & ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere.

3 Si autem inuicem se læserunt, inuicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras, quas vtique quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis.

4 Melior est autem, qui, quamuis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam; quàm qui tardiùs irascitur, & ad veniam petendam difficiliùs inclinatur.

5 Qui non vult dimittere fratri, non speret accipere orationis effectum.

6 Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa

causa est in Monasterio, etiam si non inde proijciatur.

7 Proinde vobis à verbis durioribus parcite: quæ si emissa fuerint ex ore vestro, nõ pigeat ex ipso ore proferre medicamẽta, ex quo facta sũt vulnera.

8 Quando autem necessitas disciplinæ, minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit; si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt ab eis veniam postuletis: ne apud eos, quos opportet esse subiectos, dum nimia seruatur humilitas, regẽdi frangatur auctoritas.

9 Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino; qui nouit, etiam eos, quos plus iusto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

10 Non autem carnalis, sed Spiritualis inter vos debet esse dilectio.

CAP. XI.

DE PRÆPOSITO.

1 PRæposito, tamquam Patri, obediatur, honore seruato, ne in illo offendatur Deus.

2 Vt ergò cuncta ista seruentur, & si quid seruatum non fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum, corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipuè pertinent.

3 Ipse verò non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente, felicem.

4 Honore, coram hominibus, Prælatus sit vobis; timore, coram Deo, substratus sit pedibus vestris.

5 Circa omnes se ipsum bonorum operum præbeat exemplum. *Tit. 2.7.*

6 Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. *1. Thes. 5. 14.*

7 Disciplinam libens habeat, metuens imponat.

8 Et quamuis vtrumq; sit necessarium, tamẽ plus à vobis amari appetat, quàm timeri, semper cogitans, Deo se pro vobis redditurum esse rationẽ.

9 Vnde magis obediendo, non solũ vestri; verum etiam ipsius misereminí; qui inter vos quantò in loco superiori, tantò in periculo maiore versatur.

CAP. XII.

DE OBSERVATIONE HVIVS REGVLÆ.

1 DOnet Dominus, vt obseruetis hæc omnia, cũ dilectione, tamquã spiritualis pulcritudinis amatores, & bono Christi odore, de bona cõuersatione, fragrãtes, nõ sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia cõstituti.

2 Vt autem in hoc libello, tamquam in speculo, vos possitis inspicere; ne per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur.

3 Et vbi vos inueneritis ea, quæ scripta sunt, facientes; agite gratias Domino, bonorum omnium largitori.

4 Vbi autẽ sibi quicũq; vestrũ videt deesse aliquid; doleat de præterito, caueat de futuro, orãs, vt & debitũ dimittatur, & in tẽtationẽ nõ inducatur.

CAP.

CAPVT I.

De ijs qui petierint admitti ad Congregationem Domus, & probationem Religionis Canonicæ.

Qvamuis Canonici Regulares, inter alios Religiosos, *inseruiunt Regulæ laxiori, à consortio tamen Sanctorum Monachorum, secundum sacros Canones, minime sunt seiuncti*. Quibus, vt in recipiendis Nouitijs, & obseruantia regularis disciplinæ conformentur, ordinamus: vt si quis præhabita deliberatione matura, sese vitæ communis studio addicere proposuerit, & Sacri Ordinis Canonicorum habitum suscipere optauerit, cùm Prælato visum fuerit, vt recipiatur, illo foris manente, dicatur Fratribus in Capitulo, vt eorum consilio, & consensu fiat. Si recipiendus videbitur, interrogetur coram omnibus à Prælato: *quo spiritu, qua mente, id regularis vitæ genus elegerit, quem sibi finem proposuerit, num Zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberiùs famulari possit, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, & inordinato animo ducatur, an eius parentes ope, & subsidio ipsius indigentes destituantur.* Si non de aliquo Ordine exierit, vel votum fecerit alium ingrediendi, an liber sit, an coniugatus, si obligatus voto, an excommunicatus, an irregularis, si occultam insanabilem infirmitatem non habeat, propter quam labores religionis ferre non possit, si sit debitis, & ratiocinijs obligatus. Si fuerit alicui prædictorum casuum obnoxius, tanquam inhabilis dimittatur; si nullum impedimentum habuerit, maneat in Conuentu in habitu seculari, tamdiu examinandus, donec de eo qualis sit, euidentiùs innotescat. Interim insinuetur, ac declaretur ei cum omni mansuetudine, paupertas domus, institutum Ordinis, Regula, Constitutiones, & seueritas disciplinæ, quantus sit labor Regularis obseruantiæ, propriam abnegare voluntatem, castè viuere, & in omnibus obedire. Si responderit se velle cum Dei adiutorio cuncta seruare, in quantum humana permiserit fragilitas, dicat Prælatus: *Dominus qui cœpit in te bonum opus perficiat*. Fratres respondeant *Amen*. Sicque sub regimine Magistri Nouitiorum maneat. Postquam autem Prælato, & Fratribus apparuerit idoneus, & instanter habitum Nouitiorum petierit Prælatus de consensu Capituli, diem receptioni suæ assignabit. Interim recipiendus generalem Confessionem faciat cui voluerit, procurabitque sibi habitum

Lib. 3. cap. quod Dei. 20. q. 3. cap. Præsens.

Clemēs VIII. Bulla, Cum ad Regularē.

bitum competentem. Nulli autem antequam decimum sextum annum compleuerit, & talis sit, qui salutem suam quærere videatur, Ordinis habitus, concedatur. Circa cuius susceptionem, promulgetur indulgentia plenaria sibi, quam consequitur largitione Pauli Papæ V. tenore tali: *Omnibus Christi fidelibus, qui canonicè, & iuxta ordinationes cuiuslibet Religionis, & constitutiones Apostolicas, habitum Regularem à legitimis Superioribus, causa profitendi in illo, susceperit, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, siverè pænitentes, & confessi, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint plenariam, & cuilibet Nouitio, qui pænitens & confessus, ac sacra communione refectus, post completum Probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.* Volumus præterea, vt in recipiendis Nouitijs non fiat acceptio personarum, nec soli diuites, aut nobiles recipiantur; sed illi præferantur alijs, in quibus maiora apparuerint signa humilitatis. Caueant, ne in receptione Nouitiorum pecuniam, aut quæuis alia bona petere præsumant, ob periculum Simoniacæ labis. Nouitij tempore probationis, si quæ habent debita, de ipsis se expedient, residuum quod habuerint, circa Professionem iuxta Regulam ad commune reponent. Nec aliquis aliter quàm supra dictum est ad Ordinem quouis modo suscipiatur. *Attendet autem diligenter Præpositus, vt eum tantum numerum Fratrum constituat, & retineat, qui ex reditibus Domus proprijs, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, alijsque quibuscunque obuentionibus, in commune conferendis, commodè possit sustentari, ne pœnam priuationis, & inhabilitatis ad omnia officia incurrat.*

Paulus Papa V. in Bulla Romanus Pôtifex.

Triden. sess. 25 c. 3. de Regul. Clem. VIII. Decr. reform. §. 14. Paulus V. in Bulla Sanctissimus.

CAPVT II.

De modo & forma recipiendi Nouitios.

CVm de consensu Prælati, & Fratrum, ad communem vitam, quis recipiendus erit, die sibi præfixo, Prælato, & Fratribus capitulariter congregatis, per Magistrum Nouitiorum de modo misericordiæ petendæ diligenter instructus ad Capitulum ducetur, in habitu seculari, Vestiario habitum Ordinis ferente, & ante Prælatum prosternet se in modum crucis, surgensq; ad iussum illius, quid quærat interrogatus, respondebit, *Misericordiam Dei & vestram*. Subiunget Prælatus: *Misericordiam nostram inuenisti, misericordiam autem Dei oportet te nobiscum quærere, per opera vitæ religiosæ, quæ consistit* sub-

substantialiter in tribus, videlicet in castitate, proprietatis abdicatione, & obedientia, accidentaliter autem in vigilijs, orationibus, & alijs bonis operibus. Quo respondente: paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Dicat Prælatus: *Quæramus ergo omnes misericordiam Dei, gratiam Spiritus sancti implorando*. Sicque Nouitio rursus prostrato, & Fratribus genu flectentibus, Prælatus incipiat Antiphonam: *Veni sancte Spiritus*, quam Conuentus finetenus prosequatur. Ea finita subiunget Prælatus ℣. *Emitte Spiritum tuum*, cum Collecta *Deus qui corda fidelium*, qua conclusa, Magister Nouitiorum, cum Vestiario, leuabunt Nouitium de terra, quem Prælatus exuet vestibus secularibus dicens: *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis*. Conuentus respondeat, *Amen*. Deinde induet eum vestibus Nouitiorum dicens: *Induat te Deus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis*. Conuentus respondeat *Amen*. Vestitus igitur Nouitius denuo prosternatur, dicanturque per Prælatum, & Conuentum Psalmi, *Miserere &c. Ecce quam bonum. Gloria Patri. Kyrie eleison*. Pater noster. *Et ne nos inducas. Saluum fac seruum tuum*. Mitte ei auxilium de sancto. *Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum*. Oremus.

Deus indulgentiæ Pater, qui seueritatem tuæ districtionis temperas, ne filius portet iniquitatem Patris, & qui mira dispositione malis bene ne vteris, ac tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris, quæsumus clementiam tuam, vt huic famulo tuo non obsistat, qui habitum Religionis per nos sancta, ac tali re indignos accipit, sed ministerium, quod per nos exteriùs exhibetur, tu interiùs per donum sancti Spiritus exequaris. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus. Per omnia &c.

Quibus finitis, Nouitius gratias aget Prelato et Fratribus vnā tantū faciens inclinationem versus Prælatum, moxque Magistro Nouitiorum committetur instruendus, radeturque, & communi vitæ applicabitur. Vestes seculares, & alias res quas secum tulerit, Vestiarius sub tempore probationis fideliter conseruabit, vt si fortè Congregationi non placuerit, aut ante professionem retrospexerit, sibi restituantur dicente Prælato, *Frater mi: mores tui non concordant cum moribus nostris tolle quod tuum est & vade*. Atque sic data sibi licentia, habitu Religionis exutus, liber abire permittatur.

CAPVT III.

De Nouitiorum Instructione.

PRælatus Nouitijs præponat vnũ ex Patribus discretum, & Deum timentem, ac Regulæ Zelatorem, qui eos moneat, vt mores, & consuetudines seculi, secundùm mutationem habitus, studeant in melius commutare, humilitatem cordis, & corporis habere, sine proprio viuere, paupertatem amare, delicias fugere, propriam voluntatem deserere, obedientiam in omnibus libenter obseruare; & cum Prælatum obuium habuerint, stantes se reuerenter inclinare. Instruat eos in Regula, Constitutionibus, Officio, Cantu, Rubricis Ecclesiæ Romanæ, & obseruantijs Ordinis, vt in Choro, & circa altare, in ministrando, cum magna reuerentia, munus quisq; suum obeat, quomodo stare, aut ambulare, ac in omnibus motibus, mentis maturitatem debeant referre; quomodo, vel quid orare, & quam diligenter pure, & deuotè, & quàm silenter, vt nulli impedimento existant; quando, & quæ altaria visitare, vt indulgentias consequantur a Paulo V. Religiosis concessas, quanta custodia cor, & linguam seruare, quanta diligentia, libros vestes, & alias res domesticas custodire teneantur. Cum nemine contendant, neminem iudicent, & si quę ab alio fieri viderint, licet mala videantur, bene facta, vel bona intentione interpretentur, &, vt de absentibus nisi bona loquantur, silentium teneant locis, & temporibus constitutis. In Choro strepitum non faciant, vestimenta in circuitu fluxa decenter colligant. Item, vt manus coram se in benedictione Mensæ, & aliàs religiosè componant. Lectisternia, non excutiant neq; vllum, murmur excitent tempore dormitionis. Cùm processionaliter vadunt ad socium collateralem attendant, extento collo non ambulent, nec oculos vagos, aut sublimes habeant. Doceant insuper eos, vt Scripturam Sacram auidè legant, deuotè audiant, & libenter discant. Gradus parentelæ non recitent, neq; de generis nobilitate, aut honore seculi glorientur, nec de parentum diuitiis extollantur, sine licentia literas, siue munuscula non mittant; neq; ab aliquo recipiant, sigillum proprium non habeant. Informet illos præterea diligenter, quomodo in Capitulo veniam petant, disciplinam suscipiant, cum extraneis non loquantur sine licentia; neque cum Fratribus sacerdotibus colloquantur, aut conuersentur, &, vt *Quilibet eorum bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam vnusquisq; examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli eorũ* [Clemẽs VIII. in Bulla Cum ad Regularẽ.]

 confes-

confessiones audiendi cura committatur; liceat tamen Prælato si expedire ita iudicauerit, per seipsum, vel alium a se deputandum, semel aut bis in anno eorumdem confessiones audire. Iidem quotidie Missæ sacrificio intersint: & statutis horis in Choro nocturnis diurnisq. diuinis officijs assistant.

Postremò de modo, & forma professionis, & alijs, quomodo vbiq; & in omnibus se habere debeant diligenter informentur. Nullatenus autem occupentur alijs operibus, nisi fuerint primùm in officio diuino competenter instructi.

Nullus verò ante professionem, (aliàs tales suspensi sunt ab executione Ordinum iux. Bullam Pij V.) *& nisi legitimam ætatem habuerit, ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueri poterit sacrosancto Concilio Trid. vetante. Sciantq; Subdiaconi & Diaconi eadem Synodo præscribente, maximè decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum altari ministrauerint, sacram communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum ascendere non permittantur. Ad Presbyteratus autem Ordinem assumendi bonum habebunt testimonium a toto Capitulo. Si qui in Diaconatu ad minus annum integrum non ministrauerit, atq; ad populum docendum ea quæ scire omnibus necesse est ad salutem, ac administranda sacramenta, diligenti examine præuio, non idonei probati fuerint, nullatenus pro Presbyteratu obtinendo mittentur.* Trident. Sess. 23. cap. 12. 13. & seq.

Cùm autem quis post expletum probationis annum, communi Canonicorum suffragio videbitur idoneus, diligenter Prælatus considerabit, vtrum per annum continuum sine interpolatione in Nouitiatu steterit, & eum exactè, iuxta Concilij Trid. præscriptum, compleuerit a momento in momentum computandum.

Illud quoq; diligenter inculcabit Nuitijs ex eodē Cōcilio: *Nullam renunciationem, aut obligationem antea factam etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumq. causæ piæ valere nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita & nullius effectus. Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Nouitij illius temporis quo in probatione est, quocunq. prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur.* Trid. Sess. 25. cap. 16.

Caueat insuper Prælatus summopere, ne aliquem exponat ad officia, intra, vel extra monasterium, ante annum probationis rite completum, nec aliquem, cuiuscunque conditionis fuerit, qui posteriùs suscepit habitum, prius eo vestitis præferat, in locatione Chori, vel Re-

fecto-

fectorio, nisi de Capituli consensu speciali. Si quis autem dignitate sacerdotali, siue Magistrali prȩditus, ad ordinem se transtulerit, quandiu in habitu seculari probationis tempus habuerit, postremũ locum, vltra illos, qui dudum habitum susceperat, obtinebit, habitu verò Nouitiorum indutus, post sacerdotes, vltimum tenebit. Quòd si aliqui ex his, qui ante ipsum professionem fecerunt, ad gradum sacerdotij promoti fuerint, locum inter Sacerdotes obtinebunt, illo inferius descendente, vsque ad illum locum in quo habitum susceperat Nouitiorum. Is etiam propter reuerentiam sacerdotalem, vel Magistralem, probationis suæ tempore, non cum minoribus, qui infra sacerdotium constituti sunt maneat, sed à Prælato vni de senioribus committatur, vt eum diligenter instruat de omnibus his, quæ in exordio huius Capitis sunt præmissa, nec ab aliquo Nouitiorum onere, infra probationis annum, quomodolibet eximatur; nisi de consensu Capituli, Prælatus ob causam, fecerit ei gratiam specialem. Maneant insuper iuuenes sub regimine Magistri Nouitiorum donec gradum sacerdotij fuerint consecuti.

CAPVT IV.

De Probatorum Professione.

POstquam Nouitius tempus probationis compleuerit, & iam se Religioni sanctæ perpetuo voluerit obstringere, Magistro Nouitiorum exponat propositum, ei demissè supplicando, vt ipsum Prælato, & Canonicis commendet, ad professionem admittendum. Prælatus interim tempus congruum Priori determinabit, quo Fratres ad Capitulum conuocet quibus congregatis Prælatus petitionem Nouitij exponet, ac singulorum voces super eo requirit. Si maior, aut sanior pars in ipsius receptionem consenserit, Magister eum iubente Prælato ad Capituli locum introducet, prius informatum, quomodo petiturus sit professionem. Qui prosternet se coram Prælato, ac postquam iussus surrexerit, ab eodem interrogatus quid petat, respódebit. *Peto recipi ad Professionem*. Deinde Prælatus expositis austeritatibus Regularis disciplinæ, declarabit ipsi melius esse ante professioné ad seculum redire, quàm post professionem, in proposito non perseuerare, Si dixerit velle se permanere in Ordine, & omnia propter Deum tolerare Prælatus statuet ei certum diem professionis, hortatus illum, vt interim se deuotè ad suscipiendum Religionis statum, & generalem confessionem, disponat indulgentiamq; plenariam Pauli Papæ V. omni-

omnibus profitentibus concessam, ipsi promulgans. Quod vbi audierit, gratias referet Prælato, & Canonicis vna capitis inclinatione.

Die professionis, hora qua Prælato visum fuerit, Canonici habitu chorali induti, processionaliter de Sacristia ante summum altare, ipsum habitu Nouitiorum indutum ducent, Prelato subsequente. Qui cùm peruenerit ad altare summum, Fratribus ad vtrumq. latus Prælati, iuxta senium lineatim stantibus, in modum crucis se prosternet. Prælatus verò inchoabit hymnum *Veni Creator Spiritus &c.* quem Fratres flexis genibus continuabunt; quo finito dicet Prælatus. *Emitte Spiritũ tuum & creabuntur &c. Oremus Deus qui corda fidelium &c.*

Deinde Prælatus sedebit a cornu Epistolæ maioris altaris, coram quo Nouitius genuflectet, inclinatoq. capite, manibus ante pectus cõplicatis dicet. *Suscipe me Domine secundùm eloquium tuum, & non confundar ab expectatione mea.* Subiunget deinde Prælatus hanc Orationem.

SVscipiat te Dominus noster Iesus Christus in consortium electorum suorum, & nos suscipimus te in nomine eius, in manus, & orationes, & cõsortium veræ Fraternitatis, & charitatis, vt ipse corda, & mentes nostras in suo seruitio vnanimes faciat, qui nos ad hunc diem concessit peruenire incolumes. Qui cum Patre & Spiritu sancto &c. Deinde profitente prostrato dicatur Psalmus *Magnus Dominus* cũ *Gloria Patri* postquam dicatur Antiphona *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Kyrie eleyson &c. Pater noster. Et ne nos inducas &c. Saluum fac seruum tuum. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum.*

Oremus.

DEVS, qui non vis mortem peccatoris, sed per pœnitentiam, & emendationem, vitam semper inquiris, te suppliciter deprecamur, vt huic famulo tuo, secularibus actibus renũcianti, largam tuæ pietatis gratiam infundere digneris, quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando stadium vitæ præsentis decurrat, vt brauium æternæ remunerationis, te donante percipiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

Postea surgens, flexis genibus, tenens chartam professionis, manu propria, vel scribere nesciens, aliena scriptam, manibus inter manus Prælati cum charta insertis, professionem expressè, vt ab omnibus Fratribus audiri possit, ita leget.

Ego N. promitto Deo auxiliante vobis Domino N. Præposito monasterij Sancti Nicolai & successoribus vestris Canonicè instituendis Obediētiam Castitatem proprietatis abdicationem & vitam Canonicam secundum Regulam Beati Augustini vsque ad mortem.

Prælatus subiungat. *Dominus det tibi vitam æternam*. Si fuerit Laicus Magister Nouitiorum sibi scribat & legat cuius verba ipse repetat Deinde si Clericus est incipiat ℟. *Regnum mundi*, quod chorus continuet cum suo versu & *Gloria Patri*, illo verò rursum se prosternente Fratres dicent Psalmum *Exurgat Deus* cum *Gloria Patri* subiungendo Antiphonam *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis &c. Kyrie eleyson &c. Pater noster &c.* ℣. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare Fratres in vnum. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.*

Oremus.

D*Eus qui renunciantibus seculo mansionem paras in cœlo, dilata huius congregationis temporale habitaculum cœlestibus bonis, vt fraterno teneatur compagine charitatis, vnanimes præcepta custodiant, sobrii simplices, & quieti, gratis sibi fuisse datam professionis gratiam cognoscant. Concordet eorum vita cum nomine, vt professio sentiatur in opere. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.*

His dictis aspergatur aqua benedicta, & turificetur dicente Prælato: *Mortuus es mundo & consepultus es Christo, & vita tua abscondita est cum Christo, in Deo.*

Deinde surget, in medioque flectet. Vestiarius interea Regularem vestem, tunicam laneam pro Clericis, Scapulare pro Conuersis, Prælato offeret benedicendam sic: *Adiutorium nostrum in nomine Domini. Domine exaudi. Dominus vobiscum.*

Oremus.

D*Omine Iesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus tuæ immensitatis abundantiam, vt genus vestimenti, quod* SS. P*atres ad innocentiæ, & humilitatis indicium renunciantibus seculo ferre sanxerunt, ita benedicere digneris* ✠ *vt hic famulus tuus te induere mereatur. Qui viuis & regnas &c.*

Aspergit aqua benedicta Prælatus Rochetum. Professum deinde exuit Sarrocio, aut Scapulari dicens, *Exuat te Deus veterem hominem cum actibus suis.* Conuentus respondet *Amen*. Deinde induendo eum Rochetto, aut Scapulari lineo conuersum, dicit: *Induat te Deus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate*

veri-

veritatis. Respondet Conuentus *Amen.* Sic indutus iterum prosternitur, & dicitur Psalmus, *Ecce quàm bonum, &c.* cum *Gloria Patri &c. Kyrie eleyson &c. Pater noster. Et ne nos inducas &c. Nihil proficiat inimicus in eo. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum.*

Oremus.

O*Mnipotens sempiterne Deus, immensam clementiam tuam suppliciter imploramus, vt præsentem famulum tuum, cui in sancto tuo nomine habitum sanctæ religionis imposuimus, bene † dicere, & sanctifica † re digneris, quatenus in proposito regulari sic tibi seruire valeat, vt ad vitam peruenire mereatur æternam. Per Dominum nostrum &c.*

Surgit deinde Professus, cui Prælatus librum Regulæ tradit, & societatem illi Congregationis communicat dicens:

Quamuis omnes per gratiam baptismi fratres simus in Christo, & vnum Patrem habemus in cælo, si eius præceptis prout possumus obsequimur: tamen procul dubio tūc maximè vnimur quādo orationibus, & mutuis officijs nosmetipsos copulamus; quemadmodum in primitiua Ecclesia, quibus cor vnum erat, & anima vna, quorū amore plures accensi mente, possessiones, ac facultates rerum vendentes, & cū matre Iesu Christi viuentes, pretia in vnū cōgregata deferebant, gaudentesq. Apostoli accepta tribuebant omnibus, prout vnicuique opus erat. Ita hic, Deo inspirante, ipsorum secutus exemplum, nostris optat iungi consortus. Idcirco damus ei communem societatem viuendi nobiscum quantum à Domino possumus promereri, & nostrum est largiri, quatenus à remuneratore omnium bonorum valeat præmia promissa percipere præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, respondeant Fratres *Amen.*

His peractis professus, primò à Prælato, deinde cæteris Fratribus, incipiendo à senioribus osculum accipit, & installatur, deinde suscipit sanctissimum Sacramentum, aut si Sacerdos fuerit Missam celebrat. Professus quilibet, quamuis non sit sacris initiatus Ordinibus, ad horas Canonicas recitandas est obligatus. Conuersus, ad Orationes Dominicas 30. pro Matutino, septem pro quauis hora, 15. pro Vesperis, pro Completorio 5.

CAPVT V.

De Habitu Canonicorum.

LIcet in Regula B. Augustini certus non describatur Canonicorū habitus, tamen, vt vniformis seruetur volumus, ac indispensabi-

Confir. Synod. nationalis lib. 3. de statu Monachorum ad Canonicorum Regularium.

liter statuimus habitum professorum esse debere Rochetum, siue lineam tunicam in Prouinciali Synodo a Gregorio XIII approbatam praescriptam, quam, super sutanam laneam albi coloris, ad talos vsque decenter longam, ferent; Quae quidem linea tunica, siue Rochetum essentialis ipsorum habitus est, nunquam temere deponendus, ne sententiam excommunicationis a iure latam incurrant. In diuinis officijs, & administratione Sacramentorum superpelliceum largum induent, supra quod almutium nigri coloris tela rubra, vel tenui panno nullo modo autem serico, subductum deferent. Praelatus tamen vti poterit mozzeto serico, tela bombycina subducto. Clerici Nouitij tunicam lineam sine manicis in sinistro latere dissutam gestabunt. Conuersi professi scapulare de lino albo in lateribus apertum vsque ad genua, vel circa, protensum. non professi, eodem scapulari vtentur, sed duobus nodis in humeris adstricto. Deferent insuper tam Canonici, quam Conuersi professi, & non professi sub habitu lineo tunicas de panno albi coloris secundùm prouidentiam Praelati, quae Religionis suae professioni, & paupertati competant. subductas autem superiores, multo minùs (interiores) non habebunt pellibus pretiosis. In festis solennibus Praecentores, & qui aliquem actum in cappis choralibus debent peragere superpelliceis vti debebunt; volumus item, vt infra diuina officia nunquam sine habitu Ecclesiastico incedant. Similiter, vt Fratres in Ecclesijs monasterio subiectis commorantes, habitui se communi conforment. Dum exeunt Monasterio Canonici, pallium nigri coloris gestent supra Rochetum, hyeme, pileis subductis, non tamen pretiosis pellibus, excepto Praelato, intra domum aestiuo tempore biretis, extra, galeris vtetur. Fratres Conuersi, tam in Ecclesia, quam extra, vniformi vtantur habitu, in almutijs, & pallijs, nisi quòd ea coloris grisei gestabũt paulo breuiora super albã tunicã siue suttanã. Viatores, tam Canonici, quam conuersi vti poterunt veste superiori secularibus Clericis vsitata, nigri coloris illi, hi grisei, sic aperta, vt Rochetum, siue scapulare Conuersi appareat, ac facilè cuius sit Ordinis discerni valeat. Prohibemus verò ne in qualitate panni Regularis excedatur modestia, nec quaerant, quod pretiosius, & subtilius, sed quod vtilius valeat inueniri; caueant praeterea ne vestes longitudine nimia, vel breuitate notentur. De alijs verò vestibus laneis, & lineis, quae secundùm necessitatem sub tunicis, vel pelliceis deferri debent, et calceamentis, Praelatus cum omni honestate disponat. Postremò ne aliquid obrepat, quod in Regularis vergat maculam honestatis, omnem in habitu inordinatũ, seu exquisitum cultum districtè prohibemus, in equitando etiam quemuis excessũ penitus resecamus, ne aliquis sellam, frenum, vel calcaria nimis sumptuosa, vel aliàs or-

natu

natu superfluo decorata deferre, aut eisdem quomodolibet vti præsumat, grauiter interdicendo.

CAPVT VI.

De Officio Diuino.

QVia maximè decet, vt Canonici Lateranenses Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ placita religiosè venerentur, ac ritu obseruent ideò rationabiliter ordinamus, vt Officium Diuinum cantetur secundùm Rubricas Missalis, ac Breuiarij Romani. Quod quidem officium Fratres deuotè, ac attentè persoluere teneantur, clarè, distinctè, & vniformiter psallendo in Choro. Dum psalmi cantantur, siue dicuntur, fiat pausa in medio versus sic, vt plenum silentium omnium vocum cum terminatione facilè aduerti possit, item cauendum est, ne quis vocem protrahat in pausa, vel in fine versus, sed succinctè versus terminentur, differentijs tonorum diligenter seruatis. Terminato autem vno versu statim sequentem subiungat alter Chorus ita, vt cuiuslibet versus vltima syllaba, ab vtroque Choro perfectè audiri possit. Moderabuntur cantum quantum fieri poterit, vt conueniat omnibus, & vitetur eleuatio, vel depressio vocis nimia; quod vt accuratè seruetur, Prior tenebitur attendere. In maioribus festiuitatibus altiore tono, in minoribus mediocri, diebus feriatis, depressiore cantandum erit; attendendo ne modum vsitatum, ascensus, vel descensus vocis excedat, aut deficiat. Nemo verbis, seu cantui aliquid addere præsumat, vel mutare, siue aliter cantare, quàm secundùm Regulam legitur esse cantandum; illudque modis omnibus obseruetur, vt Fratres in lectionibus Epistolis, & Euangelijs, necnon in cæteris legendis, & cantandis normam accentuum *Ecclesiæ Metropolitanæ*, ac Primatialis Gnesnensis teneant. Dist. 13. cap. De his.

Nullus dum legitur aliquid, vel cantatur in choro, alios libros inspiciat, aut apertos teneat, is tamen ad quem pertinet officium ordinare poterit Rubricas legere, ne totus Chorus erret. Quia verò in Ecclesijs Regularibus horis debitis, secundùm Canonicas sanctiones canendum est, idcirco statuimus, vt sermones qui fiunt ad populum, & cæteri cantus Ecclesiastici sic temperentur, vt nullam horam Diuini officij in choro contingat omitti, aut aliàs quomodocunq; syncopari eo adiecto, vt horæ de B. M. V. nullatenus omittantur publicè, vel priuatim, etiamsi horæ Canonicæ de B. Virgine solenniter tunc psallantur.

Nullus omninò prætextu cuiuscunq; priuilegij à seruitio Chori, consea- Clem. Decret. Reform. nu. 1.

tur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus, cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Prælatus ijs tantum diebus quibus eos legere, aut prædicare, contigerit, dispensare, possit: Idem quoq. præstare possit cum ægrotis, & Studiorum causa legitime impeditis; In eos vero qui negligentes, aut inobedientes fuerint salutari pœnitentiam animaduertat ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam si opus fuerit subtractione.

CAPVT VII:

Inclinationibus, & Cæremonijs in Choro seruandis.

QVoniam exteriora signa demissionis, & ea, quæ foris parent erga Deum Opt. Max. religiosi cultus argumenta, non mediocria pijs mentibus, ad interiorem deuotionem promouēdam adminiculum suppeditant, idcirco inclinationibus, & genuflexionibus, iuxta opportunitatem temporis a Maioribus ordinatis, & in omnibus Ecclesijs Chorum tenentibus sanctè obseruari solitis, vti conuenit quo affectus psallentium ad subijciendum se Summo Creatori ardentiùs excitetur. Audito itaq. signo ad Matutinum, Fratres signo sanctæ Crucis se munient, deinde dicent simul congregati præeunte Priore. *Deus in adiutorium meum intende &c.* cum Gloria Patri subiunget Prior *Pater noster &c.* Et *ne nos &c.* ℣. *Erue a framea Deus animam meam.* ℟. *Et de manu canis vnicam meam Domine exaudi &c* Do*minus vobiscum &c.* Oremus.

D*Eus innocentiæ restitutor, & amator dirige ad te tuorum corda seruorum, vt Spiritus tui feruore concepto & in fide inueniantur stabiles & in opere efficaces.* Per Christum *Dominum nostrum &c.*

Ecclesiam deinde, & Chorum ingressi, reuerenter ante maius altare genuflexi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum adorabunt, neque priùs, quam recitent *Pater noster*, surgent. Cum ad stallum peruenerint, facto signo per superiorem in vtrisque stallis se inclinantes, vel flexis genibus, vt ratio feret temporis, dicent, *Pater noster, Aue Maria*, & Credo. Idemque facient ante Primam. Ad alias horas præmittent Orationem Dominicam, cum Aue Maria, ac dato deinde signo, se erigent, & ad inchoationem vniuscuiq; horæ versi ad altare, munient se signo sanctæ crucis, & ad *Gloria* Patri, quotiescunq. dicitur in Choro, vel cantatur, semper inclinetur Chorus vterq; vsq; ad *Sicut erat*: similiter fiet, quotiescunq; *Pater noster* in Choris, Canoni-

nonicis dicetur. In horis, etiam B. Virginis, & ad benedictionem mensæ, necnon ad *Gratias*, dicentes, *Pater noster*, inclinent se, similiter ad vltimos versus hymnorum, qui in laudem Sanctissimæ Trinitatis conditi sunt, & ad penultimum versum Cantici *Benedicite*. Ad incohationem autem Cantici, *Te Deum laudamus*, genuflectant, post erecti stent, vsq; ad versũ *Iudex crederis*, deinde genuflectant ad finem vsq; eiusdem Cantici inclusiuè. Omnibus diebus, tam festis, quam feriatis, dum Inuitatorium inchoatur totus Chorus ante maius altare stet, vsq; ad *Gloria Patri*, ille verò qui, *Venite*, est inchoaturus antequam Inuitatorium incipiat, & post eius inchoationem, inclinet se reuerenter; finito *Gloria Patri*, Inuitatorium resumens conuersus ad altare, idem faciet. Generaliter autem quotiescunq; sigillatim, versum siue Psalmum, aut Antiphonam quis inceperit ante inchoationem, & post, versus altare se inclinabit, similiter fratres lecturi ante pulpitum ad lectionis initium, & post finem eiusdem, inclinationem facient. In festiuitatibus, duo simul cantaturi versiculos in medio Chori conueniant, & modum genuflectendi obseruent; deniq; illud adijcimus, vt feriatis diebus, in quibuscunq; horis preces dicuntur, Conuentus genuflectat, hoc attento, vt Hebdomadarius dicto, *Dominus vobiscum*, surgat, & stans versus altare Collectam compleat, atq; eodem modo se habeat dicendo Collectas ad suffragia. Quandocunq; nomen *IESV* Sacrosanctum, vel nomen exprimitur B. Virginis Mariæ aperto capite reuerenter se inclinent. Ad Hymnum *Veni Creator*, & *Veni sancte Spiritus*, genuflectant; quoties Prælatus alicui quid piam in Capitulo, vel extra iniunxerit, & cùm aliquis Fratrum, vestimentum, vel alteram rem ab eo acceperit, inclinabit se reuerenter. Postremò ad *Confiteor*, quod manè ad Primam, & serò in Completorio dicitur stent conuersi ad altare.

CAPVT VIII.

De Statione, & sessione Canonicorum in Choro.

VT Fratrum, qui Horas Canonicas psallunt, imbecillitati consulatur, hanc seriem sessionis, vel stationis tenebunt: In matutinis, & omnibus horis Canonicis, ad omnes versus psalmorum sedeant, præter vltimos ad quos assurgentes se inclinent. Ad Lectiones, tàm in matutinis, maioris Officij, quàm de Beata Virgine sedere possunt, excepto illo qui legit lectionem, ad Cantica autem scilicet *Benedictus Magnificat*, & in Completorio, incipiendo à Psalmo

Ecce nunc Benedicite Dominum, vsque ad *Salue Regina*, exceptis precibus, cum dicendæ sunt. Ad omnes hymnos, Antiphonas, Capitula, & versiculos, stent erecti. In festiuitatibus, dum pulsantur Organa, ad prædicta Cantica, hymnos, & alium cantum stent versis vultibus ergа se vniformiter. In missa sub Epistola, & Graduali, poterunt sedere.

CAPVT IX.

De modo Benedictionis mensæ, Sessionis ad eam, & gratiarum actionis.

Finita Missa Conuentuali, aut alias secundum rationem temporis ante horam prandij, seruitor mensam præparet. Deinde Lector prægustare poterit paululum, qui à Priore perquiret maturè quid legendum sit, diligenterque aduertet ne inter legendum hallucinetur. Hora competenti seruitor Cymbalum pulset aliquandiu, vt Fratres omnes conuenire possint. Quo audito Refectorium ingressi, versus imaginem Crucifixi se inclinabunt, idemque facient semper, quotiescunque Refectorium intrabunt, vel exibunt, exceptis seruitoribus quos sæpius exire oportebit. Lotis manibus, & extersis, modestè considеant, & veniente Prælato, stantes, ante mensam lineatim, illoque *Benedicite* inchoante, vel absente eo, quopiam ex ordine seniore, prosequantur. Cum bis comesturi sunt dicant ℣. *Oculi omnium* Dicto ab Hebdomadario, *Et ne nos inducas in tentationem*, ab eodem dabitur benedictio, vna duntaxat cruce facta, *Oremus bene ✝ dic Domine*, benedictione sic data respondeant omnes *Amen*. Postea Lector postulet benedictionem dicendo: *Iube domne benedicere*. Prælatus, vel qui mēsæ præerit, subiunget: *Mensæ cælestis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ*, respondētibus Fratribus *Amen* Lector primùm, deinde cæteri cum silentio ad loca sua ibunt. Cunctis sedentibus Lector legat distinctè, & à Correctore per Prælatum deputato emendatus modestè ferat iterando illud, quod emendatum est.

Qui ad mensam tardus venerit *Benedicite*, stans ad mensam more solito dicet cruce non facta, deinde inclinans se Prælato in loco suo sedebit. Nullus ante Prælatum manum mittat in mensam, nec ipse Prælatus prius cibum sumat quàm Lector duos, vel tres versus de lectione proferat. Nemo comedentes curiosè, aut defixis oculis inspiciat, sed vnusquisque religiosè, & honestè cum gratiarum actione cibum sumat, & potum non ad voluptatem, sed ad necessitatem intentus

otus lectioni prout decet. Vt autem ordinatè fiant omnia, vnus, vel ures de Fratribus secundùm quod Prælato videbitur expedire, ad quiendum mensæ deputentur, qui si viderint deesse alicui quidpiam, ppleant quantocyus.

Et quia circa hoc potissimùm versatur Regula nostra, vt omnia no- s sint communia, & nemo sibi aliquid operetur, ideò Fratres om- s in Refectorio comedent, nisi Prælatus cùm aliquibus dispensa- rit debilibus, & infirmis.

Nemo sibi ad mensam apportet aliquid, vel inde reportet nisi de æsidentis licentia speciali. Si quid à Prælato, vel Præsidente cui mittitur, priùs inclinet se ferenti, deinde paululum assur- ns inclinet se versus mittentem, quòd si comedere nolit, modicum men sumat de eo quod missum est, deinde iuxta sedenti tribuat. militer hic, si quid residuum fuerit, sequenti, & sic alij successiuè teris.

Ministri cibos apportare, vel cantaros sublevare non audeant, nisi to signo à Præsidente, cumque omnes comederint, superiore signum nte, Lector dicat: *Tu autem Domine miserere nobis*, Fratres respon- ant, *Deo gratias*.

Postquam surrexerint, stent in locis ante mensam ex ordine, vt tè Refectionem, incipiente autem Prælato, siue præsidente. *Confi- eantur tibi &c.* prosequantur cum *Gloria Patri*. Dicto ab Hebdoma- rio *Agimus tibi &c.* respódeant Fratres. *Amen*, & inchoante Prælato, almum *Miserere*, vel *Laudate Dominum omnes gentes*, finetenus pro- quantur; Quo completo Hebdomadarius dicat. *Kyrie eleyson &c.* *ne nos inducas*. *Dispersit dedit pauperibus*, *Benedicam Dominum*. *Domino laudabitur*. *Magnificate Dominum*. *Sit nomen Domini*, *Retri- uere dignare*. Conuentus respondeat Amen. *Benedicamus Domino*, *eo gratias*, Prælato autem dicente. *Fidelium animæ*. Conuentus re- spondeat, Amen, & dicto, *Pater noster*, recedant. Sic gratiarum actiones per totum annum, post prandium, & cœnam concludent, ex- ceptis diebus in Breuiario Romano annotatis.

Prouideatur Fratribus in Refectorio iuxta Regulam de communi, t proprietatis occasio ipsis penitus auferatur. Diebus ieiuniorum, gressi refectorium præmisso *Benedicite*, subiungent. *Edent paupe- r*, cum *Gloria Patri*. Deinde Hebdomadario, vt priùs benedictio- em faciente, Lector Præsidenti se inclinet dicens: *Iube Domne*, qui spondebit, *Ad cœnam vitæ æternæ*. Refectione completa inchoante æsidente cæteri, prosequantur, *Memoriam fecit mirabilium*, cum *Gloria Patri*. Dicto per Hebdomadarium *Benedictus Deus in donis suis*, *sanctus in omnibus operibus suis*, *qui viuit & regnat in secula secu- lorum*

lorum, respondeat Conuentus, *Amen*.

Nullus aliquem strepitum facere præsumat in Refectorio Seruitores secū nihil confabuletur, sed intra refectionem, Prælati, siue Præsidentis vultum diligenter obseruabunt, vt si quid faciendum innuat, confestim exequantur. Quia verò non congruit, vt homines dispares cultu, & officijs, ad mensam monasterij adhibeantur, idcirco volumus, vt nullos habeant commensales seculares: Quòd si amicus, aut consanguineus alicuius aduenerit, de licentia Prælati poterit ad mensam Fratrum inuitari.

CAPVVT X.

Quæ occupatio pomeridiana erit Canonicorum.

QVia Religiosi nunquam otio indulgere debent, idcirco statuimus, vt Fratres pomeridiano tempore vsq; ad signum vesperarum lectioni, vel orationibus intendant, rationem lectionis Prælato reddituri, præuidebunt item diligenter, quid in Matutinis diei sequentis cantandum erit, vel legendum, labori etiam manuali, hora, & loco competenti insistent. Poterunt in æstate, quibus necesse fuerit, in cellis, & non alibi moderatè quiescere, vt ad labores futuros existant fortiores. Cum signum datum fuerit pro vesperis, conueniant ad refectorium, quibus potus fuerit necessarius præmissa benedictione per seniorem *Potum seruorum suorum benedicat Rex Angelorum*, bibant modestè. Caueant autem, vt neq; ad hanc, nec ad aliquam aliam Fratrum refectionem, personas extraneas introducant, sine licentia Prælati. Finito Completorio, si cœna est habenda, dato signo omnes ad Refectorium conueniant, modo, & ordine ad prandium descripto.

Nullus à communi Refectione, siue collatione, se subtrahat sine licentia speciali. Peracta cœna possunt Fratres more solito visitare altaria, vel alia opera vtilia peragere, prout superiùs ante vesperas extat ordinatum. Dato deinde signo silentij à Priore, ad illud tenendum erunt omnes adstricti, vsq; ad Capitulum diei sequentis.

In festis primæ, & 2. classis Prælatus, aut eo absente, prior, peracto Completorio in medium procedens, vbi vrceolus, cum aqua benedicta stat præparatus, se primùm deinde singulos aspergat inchoās planè, & expressè antiphonam: *Asperges me Miserere mei &c.* qua dicta idem superior subinferat. ℣. *Domine apud te est fons vitæ*, Deinde Collectam, *Sancti Spiritus, quæsumus Domine corda nostra mundet infusio; & sui roris intima aspersione fœcundet*, Per Christum Dominum nostrū; postea subiungat, *Sit nomen Domini benedictum. Adiutorium nostrum, &c.*

&c.&signans se, signo sanctæ Crucis benedictioné, quæ sequitur dabit *Cælesti benedictione, benedicat nos omnipotens Deus Pa ✝ ter, & Fi✝lius, & Spiritus ✝ Sanctus*: Conuentu respondente, *Amen*, Fratres dicant *Pater noster Aue Maria, & Credo*, quibus peractis, genuflexione versus summum altare facta, egredientur.

Quamuis autem Religiosi omni tempore linguam suam refrenare debent, tamen statuimus, vt præcipuè diebus infrascriptis arctius silentiū teneatur, sextis videlicet ferijs per totum annum, & in vigilijs festiuitatum, quibus ieiunatur, & quadragesima tribus diebus per hebdomadam secunda, quarta, & sexta feria, tamen si festum nouem lectionum, siue duplex in aliquo prædictorum dierum euenerit dicente Prælato Benedicite, ac Fratribus respondentibus *Dominus* solui silentium poterit.

Præmissa omnia volumus diligenter obseruari per circulum anni. Prouideat, etiam Præsidens lectiò, ne collatio nimium abbreuietur, vel diutius protendatur, quæ cum lectione fieri debebit, vt aliàs contra.

CAPVT XI.

De dormitorio, & quomodo Fratres in cellis sese debeant gerere.

OMnes simul in dormitorio dormiant, excepto Prælato, & quem infirmitas, aut senectus excusat, qui tamen si commodè fieri poterit cum Fratribus in dormitorio quiescant singuli in singulis cellis *in quibus nulli camini permittantur, sed* si qui fuerint *omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus conuulsis, vt res illa non ad tẽpus facta, sed perpetuò duratura videatur, cellis Prioris, ac Prædicatoris exceptis*, cùmq; ibi fuerint constituti, præmissis exercitio vespertino, & ad minus oratione Dominica trina, & tribus angelicis salutationibus addito *Credo*, ac examine Conscientiæ peracto, in lectis suis signo sanctæ crucis muniti, religiosè composito corpore, in Dei timore, & amore dormiant Lectisternia secundum arbitrium Prælati dispensentur, quæ deceant Religiosos. Nullus Fratrum in dormitorio extra cellam, sine tunica, & Rocheto compareat. Lectisternia componant, sine strepitu, neq; illa excutiant tempore dormitionis. Nihil inhonestum, aut indecens agat quis in dormitorio, nec alios immoderato incessu, siue strepitu, aut quouis modo inquietare audeat. *Præterea lucerna, siue lampas in dormitorio totam noctem colluceat*, Cuius curã Custos cũ suis mi- Clem. Refor. Reg. nu. 29. Clem. Refor. Reg. n. 35.

 nistris

nistris gerat diligentem. Statuimus autem, & sub pœna grauioris culpæ prohibemus, ne aliquis Fratrum in Dormitorio, & alijs inter septa monasterij aliqua teneat arma; nec aues in dormitorio, vel cellis, aut quodcunq; curiosum, quod a Religiosa modestiæ grauitate discrepet.

Ibid. nu. 24. *Habeat Prælatus clauem ita fabrefactam, vt cùm sibi videbitur cellas omnes reserare possit; & propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat quin semper ab eo possit aperiri.*

Caueant insuper, ne in cellis clausis ostijs conuenticula priuata facere præsumant, qui causa rationabilem habuerit præmisso, *Benedicite*, sub silentio, breuibus verbis se expediat in ostio, stans.

CAPVT XII.

De Silentio.

NE mens humana, per multiloquium exteriùs sparsa, dum otiosa verba cauere negligit ad noxia perueniat; ideo vicissitudinem temporis pensantes, statuimus, vt Fratres a fine Collationis vsque ad Capitulum diei sequentis silentium teneant, ad quod etiam in prandio, vel cœna erunt adstricti per circulum anni, vt id, quod secundùm consuetudinē legitur attentè audiatur. Si quis ex causa rationabili, loqui debeat Fratri in Ecclesia, aut in dormitorio, siue alijs locis, & horis silentio deputatis, præmittet *Benedicite*, & is cui loquitur, *Dominus*, respondebit. Alijs locis, & temporibus, Fratres loqui, non prohibentur de scripturis sacris, rebus vtilibus, & necessariis quibus vita temporalis carere nequit. Nullus loquatur extraneis sine licentia, nisi breuiter Officiale in locis, & temporibus suis de his loqui poterunt, quæ necessitas poposcerit. Prælatus tamen ex causa rationabili poterit loqui, cùm extraneis frequentiùs, Fratrum silentium non interturbando.

Clem. Decre. Reform. n. 32. *Illud porrò præpositum in Domino admonemus, vt memor sit rationis, quam in nouissimo die redditurus est pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio inuigilet, vt quæ in Ordinis Regula, & Constitutionibus de Oratione mentali, silentio, ieiunijs, Capitulo culparum, alijsque spiritualibus exercitijs prudenter, ac piè sancita sunt ea omnia, & singula ad vnguem obseruentur: intelligatq; super his veluti fundamentis totius Religionis ædificium construendum, & ædificandum esse, quæ, vt faciliorem exitum sortiantur, & fructus, vberiores in animis Fratrum producant valde opportunum erit si in Conuentu singulis hebdomadis habeatur sermo*

de

de Regulari disciplina religiosaq; obseruantia.

Quo verò omnia ordinatè peragatur appendatur tabula in loco conspicuo Conuentus, in qua distinctè annotetur, quod singulis horis cuiusq; diei quilibet Frater praestare debeat, vt certo quisq; signo praemonitus maiore animi praeparatione suo muneri satisfacere possit. Ibid.n.39.

Quae Ordinis Constitutiones Decretis Apostolicis non aduersantur, inuiolatè custodienda erunt sub poenis, secundùm arbitrium Praepositi, pro modo excessus infligendis, vbi certa praescripta non est. Ibid.n.15.

Meminerit praeterea Praepositus interdictam sibi omnino facultatem omnem Decreto Clementis VIII. Sacrosancti Concilij Tridentini Decreta, & praesentia, declarandi interpretandi, aut vllo modo aduersus ea, & Constitutiones Ordinis perpetuo valituras, in quibus ea decreta Reformationis Regularium fuerint inserta, dispensandi, alioquin sciat se in poenam Priuationis Praepositurae, ac inhabilitatis perpetuae ad alia quaeuis munera ipso facto, & sine vlla exceptione incidisse. n.40.

CAPVT XIII.

De Confessione, & Communione.

SI non decet ad sacras vllas functiones quempiam accedere, nisi sanctè, certè quo magis sanctitas & diuinitas caelestis Eucharistiae sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentiùs cauere debet, ne absque magna reuerentia, & sanctitate ad eam percipiendam accedat, praesertim cum illa formidinis verba apud Apostolum legamus. Qui manducat, & bibit &c. Quare praecipimus vt nullus sibi conscius peccati mortalis quantumuis sibi contritus sacerdos videatur, absq; praemissa sacramentali Confessione ad celebrationem Missae accedere audeat. Trid. Sess. 13. cap.7. de praepar. ad Euch.

Propter desides igitur, qui suam negligit mundare conscientiam, ordinamus, vt quilibet sacerdos ad minus in hebdomada semel faciat confessionem. Ministri quoq; altaris praeuia confessione, quoties necessarium, aut congruum videbitur, obeant officia, ieiuni.

Statuimus, vt sacerdotes nullum praesumant absoluere, qui in aliquo trium substantialium Religionis deliquerit, nec a Casibus Papali, aut Episcopali authoritati reseruatis, cùm talis absolutio nullius valoris existat, nisi habeant facultatem. Infirmi sacerdotes ad minus semel in hebdomada confiteantur, & communicent si possunt, aut Missam legant. Infra sacerdotium constituti sani, vel infirmi Clerici, vel laici, ad minus semel in quindecim diebus, & quoties communicare

voluerint, faciant confessiones sacerdoti ipsis per Prælatum deputato Nouitij Magistro suo confiteantur bis singulis mensibus, communicet autem ad minus diebus infrascriptis Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, & Natiuitatis B. M. V. & in die Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, in festo Paschæ, Pentecostes, SS Corporis Christi, dedicationis Ecclesiæ, & festiuitate sanctorum omnium, nisi de iudicio Prælati, vel consilio Confessarij ex causa rationabili ad tempus aliqui duxerint abstinendum, aut etiã sæpius confitendum, siue communicandum.

Clem. ad Regularem.

C A P V T X I V.

De Ieiunio a Fratribus obseruando.

VT Fratres carnem suam iuxta Regulam domare curent abstinẽtia escæ & potus, statuimus, vt præter ieiunia ab Ecclesia instituta, & quæ habet propria patriæ consuetudo, ieiunent, temporibus infrascriptis videlicet: singulis sextis ferijs totius anni in memoriam Dominicæ Passionis in cibis quadragesimalibus. Deinde a prima Dominica Aduentus inchoando Fratres in Monasterio, & parochi ei subiecti, cibis duntaxat quadregesimalibus vti debent, ac per totum ieiunare, nisi forsitan ex causa rationabili cum aliquibus fuerit dispensandum. A carnibus tamen omnino abstineant exceptis infirmis, & in via constitutis. Quartis verò ferijs à carnibus abstineant per totum annum, vbicunque fuerint exceptis viatoribus, qui cibum sibi congruentem inuenire non potuerint, lacticinijs tamen, & ouis, vti possunt bis in die, nisi ieiunium occurrat speciale, in quo quidem cibo diebus infrascriptis ieiunare teneantur, scilicet tribus diebus Rogationum, sanctarum Mariæ Magdalenæ, & Heduigis, & S. Augustini vigiliam. Si Festiuitas Natiuitatis Domini, sexta feria, vel Sabbatho euenerit, propter excellentiam festi sequentur consuetudinem Ecclesiæ vniuersalis. In Parasceue ob reuerentiam Passionis Domini ieiunium strictiùs, quàm in alijs diebus obseruetur. Et quia non solùm a cibo verùm etiam a potu in quantum valetudo permittit Regula docet abstinendum ideo, vt in hoc Fratres aliquo modo regulentur, volumus, vt à fine prandij vsq; ad horam bibitionis consuetam, nullus Fratrum bibere præsumat nisi per vrgentem necessitatem, vel aduentum hospitis de licentia speciali à Prælato super hoc petita, & obtenta. In prædictis tamen ieiunijs, & abstinentia potus, infirmis, & debilibus nolumus in aliquo præiudicium facere. Porro sacris Canoni-

nonibus disponentibus; *Quadragesima summa obseruantia est obseruanda, vt ieiunia in ea præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi, quem infirmitas impedierit nullatenus soluantur, quia ipsi dies decima sunt anni.* De Consecr. D. 5. cap. Quadrages.

Dies ieiuniorum ab Ecclesia præscripti sunt hi: quatuor temporum, vigiliarum Natiuitatis Domini, & Assumptionis B. M. V. Apostolorum omnium, excepto SS. Philippi, & Iacobi, & S. Ioannis Euangelistæ, vigiliarum item Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, & S. Laurentij in quibus vnica refectione oportet esse vnumquemq; cõtentum. Cæteris diebus festa B. M. V. præcedentibus ieiunia iuxta consuetudinem Patriæ obseruabunt.

CAPVT XV.

De Capitulo Quotidiano.

Audito signo omnes religiosè intrent locum Capituli inclinantesque, se versus imaginem Crucifixi, sedeant iuxta ordinem. Adueniente Prælato assurgant, & se inclinent, Priori verò tantum assurgant. Prælato etenim in omnibus, vt dignum est singularis reuerentia debetur, vbicunq; Fratres sederint Prælato veniente assurgant, & se inclinent tam diu stantes, quosq; ipse sederit, vel pertransierit, & si aliquam communem orationem in Capitulo, vel alibi iniunxerit, omnes se inclinent; idemq; faciant singuli quibus aliquid agendum commiserit, obseruentq; diligenter, & maximè, vt coram eo in omni sua conuersatione modestè se gerant, nec vnquam verba dissoluta coram eo proferre præsumant.

Vbi consederint, Lector inclinãs se petet benedictionem, antequam inchoet lectionem, quæ de Constitutionibus esse debebit, quam Præsidens dabit sic: *Regularibus disciplinis instruat nos omnipotens, & misericors Dominus*. Finita ad nutum Præsidentis lectione, Prior siue Præsidens incipiet: *Oremus pro Fratribus nostris, & benefactoribus defunctis, respondeant Fratres, Requiem æternam &c.* Deinde inchoante Priore. *De profundis*, stantes alternatim recitabunt ad finem, quo finito subiungit Prælatus, siue Præsidens *Requiem æternam, Domine exaudi. Dominus vobiscum.* Oremus. *Deus qui inter Apostolicos, &c. Deus veniæ largitor, & Fidelium Deus.* Tandem Prælatus, vel qui Capitulum tenet, postquam relati sunt Fratres, & benefactores speciales Conuentus nominatim, pro quibus orandum est, subiungit *Animæ eorum, & omnium fidelium defunctorum requiescant in pace*, responso ab omni-

omnibus, *Amen*, Lector tabulam officiorum legat, omnes nominans Fratres, vt vniuscuiusq; nomini proprio adiungat Frater, v. g. Frater Andreas, Gregorius, Stanislaus, & hoc faciet excepto Prelato, & & Priore; Nam, etsi Prior ingreditur rationem officiorum exequendorum in Ecclesia, & Conuentu, legetur tamen scriptus in tabula R. Dominus Prior. Dum Tabula pronunciatur, qui nomen suum audierit surgat, si ad hebdomadam, vel aliquid agendum adstrictus fuerit si intelligat se illud per aliquam incommoditatem, non posse complere, misericordiam, in Capitulo quæret, causam rationabilem allegando postea inclinans se Lector, eat in locum suum; & dicto *Benedicite*, ab eo, qui tenet Capitulum, Conuentuq; respondente, *Dominus*, subiungatur: *Loquamur de Ordine nostro*. exponetq; Fratribus tractanda. Volumus autem vt in arduis causis habeant Fratres tempus deliberandi opportunum; Nam si notabile aliquid emerserit, Prælatus accito Priori referet, qui Fratribus capitulariter congregatis, proponet, & examinatis vocibus singulorum, cum aliquibus sanioribus conclusionem Capituli, significabit Prælato. Quòd si Prælatus causam per se proponere voluerit, veniet ad Capitulum, vota singulorum, æquanimiter audiet, nullius vocem, quam quisq; in Capitulo liberam habere debet, intercipiendo. Reuerentia Prælati semper in omnibus votis, salua esse debebit, qui examinatis singulorum vocibus, saniorem eliciet conclusionem tractatorum, In maioris momenti, negotijs vnusquisq; conscientiam diligenter examinet, vt si de se fiat sermo, aut generaliter proponatur correctionis, & culparum modus, is qui in aliquo se dignum correctione suadente conscientia repererit, de loco suo vltrò consurgat, cum magna reuerentia in medium procedens, & in terra prostratus veniam petat, nec ante mandatum Præsidentis exurgat, cùmq; iussus surrexerit, reatum suum exponat sic, vt à Fratribus audiri possit. Quòd si ab aliquo, se proclamatum audierit, petat veniam. Qui verò proclamat, non quærat circutiones, sed dicat apertè, ille fecit hoc, proclamatus autem, sine strepitu, ac litibus petita licentia, innocentiam suam si potest ostendat, aut dicat se velle imposterum emendare.

Præsidens, antequam ad correctionem procedat, diligenter de veritate inquirat, & si res aliter, quàm dicta est, se habuerit, proclamatus absoluatur, & proclamans pœnæ talionis succumbat; si quid inuidiosè, aut malitiosè dixisse deprehensus fuerit acriùs puniendus erit. Dum causa proclamati discutitur, non loquatur ille, nisi interrogatus. Nullus proclamet illum, qui reus proclamatus est in eodem Capitulo, nec ex sola suspicione fiat proclamatio.

Nullus

Nullus loquatur in Capitulo, sine licentia, nec aliquem proclamet auditu, nec dicat à quo audiuit. Nemo proclamet totum Conuentum, aut Chorum integrum; ne tamen vitia occultentur, debet quilibet dicere Prælato, secretò malum, quòd viderit, aut audierit, vt Prælatus, circa peccata occulta remediū possit adhibere, opportunū. Si quis pro sua culpa in Capitulo meretur disciplinam accipere, vsq; ad cingulum à superiore parte, se denudet, & super terram prostratus, nihilq; dicat, nisi mea culpa, ego me emendabo, crebriùs petendo inter flagellationem sui ipsius.

Postquam aliquis Fratrum à Præsidente pœnitentiam susceperit, non se loco moueat, donec dicatur ei, Ite sessum, & tunc se inclinans eat in locum. Hoc autem summopere cauendum erit, ne aliquis extra Capitulum significet alicui de culpis Fratrum, de secretis consiliis, quæ in Capitulo tractantur, sub pœna priuationis vocis, & ei. Et licet publicè peccantes manifestè sint arguendi, tamen, de peccatis in Capitulo confessis, vnusquisq; faciat confessionem sacramentalem.

Nouitij secretis Capituli tractatibus, & Fratrum professorum quæ in Capitulo fiunt correctionibus interesse non debent, excessus ipsorum, siue negligentiæ, per Magistrum Nouitiorum extra Capitulum corrigantur.

Absoluto Capitulari tractatu is, qui tenet Capitulum dicat, *Adiutorium nostrum in nomine Domini*. Conuentu respondente, *Qui fecit cælum, & terram*, surgant omnes inclinantes se versus imaginem Crucifixi, & sine tumultu egrediantur, intranteśq; Ecclesiam cantent Primam.

Si quis Fratrum venerit ad Capitulum tardè, procedens in medium faciet veniam profundè inclinatus, deinde ibit ad locum Fratres item, qui Capitulo non ad fuerint, pœnæ grauiori succumbent.

CAPVT XVI.

De Parasceue.

IN die Parasceues, in quo iuxta sacri eloquii veritatem, quæ *anima afflicta non fuerit peribit de populo*, volumus, vt Fratres Dominicæ Passionis crucem baiulando, corporalem faciant disciplinam. Congruo itaq; tempore pulsata tabula in Dormitorio Fratres omnes ad Refectorium conueniant, tam Clerici, quàm Conuersi, Nouitij, vel professi, Prædicatore, ac infirmis, qui decubuerint, exceptis

ceptis

ceptis, omnibus congregatis, disciplinisq; per loca dispositis, ad nutum Prælati Lector sine benedictione aliquod caput de Passione Domini leget, qua lectione conclusa surgent omnes, & inclinati profundè facient generalem Confessionem Prælato inchoante: *Confiteor Deo &c.* Demum cùm Prælatus subiunxerit *Indulgentiam, & remissionem &c.* ipse primùm deinde Fratres singuli se denudent à superiore parte vsque ad cingulum, & flexis genibus defixisq; in terram vultibus ne nuditatem alterius, valeant intueri, disciplinam, per seipsos faciant, interimq; psalmum *Miserere* alternatim prosequantur.

Nullus surgat, nec faciem erigat, donec Prælatus compleat Orationem, & versum, *Christus factus est pro nobis obediens, vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Deinde: *Respice quæsumus Domine &c.*

Finita Oratione surgant, & se induant. Deinde dicto *Adiutorium nostrum*, & responso. *Qui fecit &c.* omnes in silentio vadant. Prædicator finito sermone, ne, & ipse sit exsors disciplinæ filiorum Dei, eandem cum Psalmo, & Oratione, vt supra faciet.

CAPVT XVII.

De Culpa leui.

Clem. lib. 3. de statu Monach. tit. 10. c. Attendentes.

VBi gubernaculum disciplinæ contemnitur, restat, vt Religio sancta secundum canones naufragium patiatur. Vt igitur diuersis morbis, diuersa valeant medicamina adhiberi secundùm varietatem culparum, diuersæ pœnæ erunt infligendæ. Est enim culpa leuis grauis, grauior, grauissima. Leuis culpæ reus est: Si quis mox, vt signum datum fuerit, non, relictis omnibus, ad Ecclesiam, vel ad alium locum ordinate venerit, in Choro riserit, vel alios ridere fecerit, seu confabulationes habuerit, diuino non intentus officio, oculis vagis, vel motu irreligioso mentis præsetulerit leuitatem, & à communi cœtu deuiauerit, vel alios deuiare fecerit inchoans Antiphonam, aut aliud, Chorum turbauerit, is secundùm tempus, se inclinando, vel ad pedes Superioris procidendo, si nolens scandalum fecerit in Capitulo veniam petet,

Qui Lectioni communi in Libraria non interfuerit, vel si cuiusquam negligentia liber in quo legendum est defuerit. Si quis ad Capitulum, mensam, communem conuentionem, hora debita non venerit, cibum, vel potum effuderit, vel sine benedictione sumpserit, aut sumpto illo *Deo gratias*, non egerit aliquid vtensilium ex incuria fregerit minoris momenti, ornamenta Ecclesiæ negligenter deposuerit

posuerit, vel irreuerenter tractauerit, aliquem librum maculauerit, tacerit, aut aliàs ineptè proiecerit, silentium locis, & temporibus constitutis soluerit, de claustro, de die habita licentia egressus, vltra tēpus sibi constitutum moram fecerit, oculos vagos per plateas, vel alias transeundo, ad vanitates frequenter direxerit, turpem sermonem, vel verba scandalosa protulerit, vel absq; causa iurauerit incautè, per officinas, fine licentia, vagatus fuerit, hora dormitionis in dormitorio aliquem strepitum fecerit.

Postremò qui in aliquo actu reprehēsibilis extiterit, is in Capitulo proclamatus si se sponte non accusauerit, secundùm modū culpæ, psalmodia, vel aliqua grauiori pœnitentia iniuncta, prout Prælato videbitur expedire magis puniatur.

CAPVT XVIII.

De Culpa graui.

OBnoxius graui culpæ est: qui inhonestè præsentibus secularibus contenderit, cum Fratre domi, vel extra lites habuerit, alteri opprobriū dixerit, nec reconciliatus diuinis operatus fuerit, in ministerio altaris, irreuerenter, & negligenter se gesserit, silentium violare consueuerit, culpam suam, vel alterius, defenderit, in illum à quo est proclamatus, vel alterum, quempiam maledicta, seu verba inordinata malitiosè protulerit, dum proclamatur, murmurauerit, aut non statim surgens, veniam erroris petierit, Fratri præteritam culpam, pro qua satisfecit improperando, obiecerit, carnes, absq; licentia, in diebus prohibitis ab Ordine comederit, & ieiunia ab Ecclesia institui sine causa legitima violauerit, qui cum fæmina solus, non de confessionibus, aut rebus necessarijs, locutus fuerit, monasterio interdiu, sine licentia exierit, sciens aliquod graue vitium, & occultum, de aliquo Fratre, ex visis, vel auditis à fide dignis, non denunciauerit, secreta Capituli reuelauerit, seu excessus, aut pœnas Fratrum extraneis declarauerit, literas, vel munus occultè acceperit, vel sigillum proprium habuerit, per contumaciam, vel manifestam rebellionem, animo deliberato, & ex proposito, Priori inobediens extiterit, vel cum eo contendere præsumpserit.

Pro huiusmodi culpis, & similibus proclamati in Capitulo, & confessi tres dies in terra sedebunt, & totidem facient disciplinas, cum non proclamatis, sed vltrò veniam petentibus, mitiùs agi poterit. Inobediens autem Prælato, nisi resipuerit Canonica præmissa monitione,

l.2.q.1.c.Scire 6.lib. de elect. tit.6. c.Quam sit.

Lib. 1. cap. cū in Ecclesijs c. si quis e illud. Lib. 3. c. Relatum.

ne, sciat se iuxta Sacros Canones excommunicandum esse, & si fuerit incorrigibilis, de Fratrum consortio proijciendum: si quidem, vt declarat Ioannes XXII. extra. *Quorundam.* de verborum significatione tit. 14. *Religio perimitur si a meritori a subditi obedientia subtrahantur; magna, quidem paupertas, sed maior integritas horum est obedientia maxima, si custodiatur illæsa: nam prima rebus, secunda, carni, tertia verò menti dominatur, & animo, quos velut effrenos, & liberos ditioni alterius, humilis iugo propria voluntatis adstringit.* Et: *Sciendum summopere est, quòd obedientia aliquando si de suo aliquid habuerit, nulla est, aliquando si de suo aliquid non habuerit, minima est; nam cùm huius mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientia sibi virtutem euacuat, si ad hæc ex propria anhelat, neq; enim sub obedientia dirigitur, qui ad percipienda huius vitæ prospera; libidini propriæ ambitionis seruit: rursus cùm mundi despectus præcipitur, cùm probra adipisci, & contumelia iubentur, nisi ex semetipso animus appetat, obedientia sibi meritum minuit, quia ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, inuitus, nolensq; descendit. Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam, verò voluntas propria mactatur. Quod contra ariolandi peccatum inobedientia esse monstratur. Exaduerso, ergo melius ostenditur, quid de eius laude sentiatur; si enim quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus, idololatriæ nolle, acquiescere, sola est, quæ fidei meritum possidet obedientia, sine qua quisq; infidelis conuincitur, etiamsi fidelis esse videatur.*

Causa 8. q. 1. cap. Sciēdum.

CAPVT XIX.

De Culpa Grauiori.

Grauiori culpa notatur, qui sibi officiū iniunctum in remissionem peccaminum detrectauerit suscipere; missus extra monasterium, in contemptum obedientiæ, ad Monasterium venerit, vel reuocatus, sine causa rationabili, vltra terminum præfixum moratus fuerit, nocturno tempore, extra septa monasterij exiuerit, proprium habere conuictus fuerit, furtum in monasterio, vel extra commiserit, de mala societate, vel familiaritate notabiliter suspectus fuerit, & post admonitionem Prælati, non se correxerit;

Pro huiusmodi culpis proclamatus, sex diebus in terra sedebit. Qui Fratres per conspirationem, aut coniurationem aduersus Prælatum se manifestè erexerint, tribus mensibus in carcere manebunt, feria secunda, quarta, & sexta ieiunantes, Scire autem debent ij omnes, qui

qui grauiori pœnę succubuerint eò, quòd contra substantialia Religionis peccauerint, se non posse absolui præterquam ab ipso Prælato, vel cui ob causam rationabilem putauerit esse committendum, iuxta Clementis VIII. bullam. Sciant similiter ijdem a sacris Canonibus contra se pœnas Depositionis, & Excommunicationis præscriptas, q. 1. cap. Conspirationum & seqq.

CAPVT XX.

De Culpa grauissima.

GRauissima Culpa est, incorrigibilitas illius qui proteruè cum peccat, pœnas recusat sustinere. In carcere is vnius anni spatio, in ieiunio, & pœnitentia tenendus erit iuxta Cong. Interpr. Conc. Trid. decretum. Qui in peccatum carnis lapsus fuerit, si extra monasterium factum fuerit, & notorium, Fratres sibi commorantes, studeant, excessum eius quantocyus corrigendum Prælato intimare, vt ad monasterium reuocatus, & correctus ad locum in quo tantum crimen commisit vlteriùs, non reuertatur.

Quòd si præfatum crimen in Monasterio, quis commiserit, & notorium fuerit, infrascripta pœnitentia secundùm discretionem Prælati, debet seueriùs aggrauari; quia iustum est, vt qui diuina contemnunt præcepta, & inobedientes existũt paternis monitionibus, etiã vindictis corrigantur seuerioribus, quatenus cæteri similia timeant perpetrare.

Pro huiusmodi, itaq. culpis, & similibus, pœnæ carcerali per tres menses subiacebit, vbi feria secunda, quarta, & sexta, pane, & aqua sustentetur, cæteris verò diebus vnico pulmento contentus erit.

Demum ad Capitulum ductus, vsq; ad cingulum à superiore parte denudatus coram Prælato, veniam petet prostratus, ad cuius iussum sub psalmo *Miserere*, disciplinam faciet.

Postremò suscepta pœnitentia à Prælato, ieiunijs, & orationibus diluat scelus in confusionem Ordinis perpetratum. Si verò huiusmodi peccatum occultum fuerit, secundùm ipsius grauitatem, & cæteras circumstantias, condignam peragat pœnitentiam. Nullus autem Fratrum ab huiusmodi peccato quenquam in foro pœnitentiæ præsumat absoluere, sine Prælati commissione speciali.

CAPVT XXI.

De Percussoribus.

CAnonici Regulares quomodocunque se in claustro percusserint, non sunt ad Sedem Apostolicam mittendi, sed secundùm prouidentiam Prælati disciplinæ subdantur Regulari, nisi excessus extiterit notabilis, & enormis, vt potè per membri mutilationem, vel sanguinis effusionem. Sin autem aliquis ipsorum, in personam Religiosam alterius claustri, manus iniecerit, hic de consensu Prælati eius qui passus est iniuriam, per Prælatum proprium poterit absolui. Quòd si Clericum percusserit secularem, vt scandalum euitetur, poterit ei ab Episcopo absolutionis beneficium exhiberi. Si Canonicus percusserit nouitium, etiam laicum, (cùm licet non sit Clericus, gaudeat tamen priuilegio Clericali) incidit in Canonem, Si quis suadente &c. *Quamuis enim is qui Religionem ingreditur Religiosus censeri cum effectu non possit donec sit tacitè, vel expressè professus, si quis tamen violentas manus in eum inijciat, Excommunicationis latæ à Canone vinculum non euadet.* Quo etiam priuilegio gaudent conuersi cuiuscunque Religionis iux. Cap. *Non dubium.*

De sent. Excom. in 6. lib. 5

Quia verò iura disponunt Canonicos Regulares sese percutientes secundùm prouidentiam Prælati subdendos Regulari disciplinæ, ideo ausibus temerarijs quorundam rebellium volentes obuiare statuimus, vt si quis Fratrum manus violentas in Fratrem iniecerit sine sanguinis effusione, seu partis vllius corporis, graui læsione, præter excommunicationis sententiam, quam vt prædicitur, ipso facto incurrit, à qua Prælatus illum absoluere poterit, pœnæ grauioris culpæ subiacebit.

Eandem subire cogatur, qui Fratrem alterius Ordinis, siue Clericum secularem percusserit. Qui verò ad grauem sanguinis effusionem, vel ad membri mutilationem percusserit pœnam culpæ grauissimæ sustinebit, & Romam pro absolutione mittendus erit.

Si adeo deprauatus inueniatur, vt in Prælatum manus violentes inijcere ausus fuerit, pœna culpæ grauissimæ ei duplicabitur qua peracta, ad Sedem Apostolicam absoluendus ibit. Qui Fratres frequentibus percussionibus vexare præsumpserit, vltra pœnam duplicatam, ad omne officium inhabilis permanebit.

Postremò siquis (quod Deus auertat) homicidium perpetrauerit post disciplinam susceptam in Capitulo per Psalmum, *Miserere*, ad perpetuos carceres recludatur pro sola necessitate sustendandus,

Pote.

Poterit tamen Prælatus cum consensu Capituli de omnibus prædictis pœnis, considerata conditione pœnitentiæ, qualitate, & quantitate, ac alijs circumstantijs criminis, aliquid imminuere.

In reliquis ordinationibus pœnarum, quæ hic non sunt expressæ iuxta normam Constitutionum generalium totius Ordinis Congregationis Lateranensis, procedet, quibus se conformare diligenter debebit, sub pœna priuationis Prępositurę à Loci ordinario irroganda.

CAPVT XXII.

De Apostatis.

QVicunque professus apostatauerit habitum Religionis abijciendo, Excommunicationis sententiam, iuxta traditionem iuris, incurrit ipso facto. Quod si in apostasia ordinatus fuerit, vel in Ordinibus priùs susceptis ministrare præsumpserit, executione officij perpetuo carebit, cùm, talis ipso facto efficitur irregularis, nisi ad Cœnobium reuersus, ita religiosè conuersatus fuerit, vt Sedes Apostolica cum ipso dispensare dignetur.

Qui coactus de apostasia redierit, intrans Capitulum ad pedes Prælati se prosternat, excessum supplex confitendo, & disciplina peracta, per psalmum, *Miserere*, à Conuentu separetur, & in carcerem secundùm quantitatem temporis apostasiæ reclusus permaneat, ad quem Prelatus interdum aliquos de Fratribus mittet, qui illum ad pœnitentiam inducant.

Si aliqua spes in eo emendationis apparuerit, postquam Prælato videbitur opportunum, carcer ei relaxabitur, non tamen Fratribus communicabit, nec quisquam sibi, aut ipse alicui loquetur, donec à Prælato fuerit Sacramentaliter absolutus, & communioni Fratrum ex euidenti pœnitentia sociatus.

Quòd si secundò apostatauerit, & iterum reductus fuerit, præmissa ei duplicetur pęnitentia, & in Capitulo voce careat, & locum vltimum obtineat.

Ei verò qui pœnitentia ductus de Apostasia sponte redierit, pœnam præmissam Pręlatus de consensu Capituli pro modo criminis, poterit mitigare.

CAPVT

CAPVT XXIII.

De pœna excommunicationis cautè à Prælato fulminanda.

LIcet Prælatus iurisdictionem habeat in sibi subiectos secundum Canonica instituta, debet tamen cautus esse ne aliquem excommunicet, nisi trium dierum monitione præmissa, alioqui etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, ab ingressu Ecclesiæ per mensem prohibeatur, qua pendente si quidpiam in officio, egerit notam irregularitatis incurrit. Debet insuper diligenter aduertere, vt huiusmodi sententiam in scriptis proferat, causam Excommunicationis, exprimendo, quod etiam in sententia suspensionis, & interdicti obseruandum erit.

Quod si huiusmodi Constitutionis temerarius violator extiterit, per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis Officijs nouerit se suspensum, vt patet ex Cap. Cum medicinalis, de sententia Excommunicationis, in 6. in cuius fine dicitur: *Caueant autem Ecclesiarum Pralati, & Iudices vniuersi, ne prædictam suspensionis pœnam incurrant, quoniam si contigerit eos, sic suspensos diuina officia exequi irregularitatis non effugient notam, iuxta Canonicas sanctiones super qua non nisi per Summum Pontificem poterit dispensari.*

Omnes autem iudices priuatos, & Regulares, dicit Archidiaconus super idem Capitulum hoc statuto comprehendi propter verba generalia, hic posita, exceptis Episcopis quoad pœnam suspensionis.

CAPVT XXIV.

De Sigillorum, & rerum Monasterij conseruatione.

SIgillum Domus, necnon priuilegia, siue literę Monasterij, sub cômuni deposito diligenter, & fideliter, sub tribus clauibus custodiantur, quarum vnam Prelatus habeat, secundam Collector Monasterij, tertiam Depositarius capitulariter à Prælato deputari.

Ad vitandum verò scandala, & damna quę per abusum sigillorum contingere possunt, volumus, vt nullæ literæ, sigillo Domus, sigillentur, nec cuiquam præsententur, nisi fuerint in Capitulo lectæ, & copia ipsarum in inuentario Monasterij fideliter regestrata sit.

Literæ similiter quæ ad Conuentum diriguntur coram Prelato, & Capi-

Capitulo aperiri, & legi debent, sub pœna grauioris culpæ, qui secus fecerit.

Nullus Fratrum sine licentia Prælati literas mittere præsumat, aut missas sibi occultè recipere, sub eadem.

Ordinamus insuper, & sub pœna depositionis ipsius Prælati canonica, tamen monitione per ipsum Loci ordinarium præmittēda, statuimus, vt in nullo contractu venditionum, emptionum, obligationum, collationum, permutationum, & quorumcunque aliorum actorum, siue agendorum Monasterium directè concernentium, alio sigillo vtatur quàm præscripto Domus Calissien, in quo debet esse sculpta imago titularis Ecclesiæ S. Nicolai, iuxta morem, & consuetudinem Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum.

Sigillo autem minori, in quo nomen B. M. V. sculptum erit, secundùm antiquum morem in literis missilibus Prælatus vtetur, idipsum Rectores Ecclesiarum Domui Calissiensi subiectarum seruare adstricti erunt.

Iniungimus autem, tam Prælato quàm singulis in officio constitutis sub interminatione diuini iudicij, ne aliquam infidelitatem in rebus Monasterij, aut Ecclesiæ, siuè Domus, sibi commissæ audeant exercere: ne qui communem vitam vouisse dignoscitur, *Pollicitationem suam irritam faciendo non præmium sibi, sed damnationem acquirat.* 12. q. 1. cap. scire.

Quo autem proprietatis abdicatio, quam solenni voto Fratres promiserunt, & iurarunt, atque Concilij Tridentini decreta, de paupertatis voto fidelius obseruentur, præcipitur, vt nullus ex Fratribus bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam prouentus census, eleemosynas, siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam vbicunque celebrandis aliuè ipsorum ins(t)olabore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit, sed ea statim Prælato tradantur, & Conuentui incorporentur, atq; cùm cæteris illius bonis redditibus pecunijs, prouentibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit, quæ omnia sicut, & reditus Monasterij in loco tuto diligenter asseruentur à Collectore, & Depositario, ad nutum Prælati amouibilibus. Decret. Clem reform. n. 3.

Qui in præmissorum aliquo deliquerit pœnas, nedum à Concilio Tridentino, sed, & alias quoque multò grauiores, Prælati arbitrio imponendas incurrat. Ibid. n. 6.

Nulla in his dispēsatio nulla licentia Fratres excusare possit, quo minus culpa, & pœna Cōcilij decretis imposita, & ipso facto incurrenda sint obnoxij Ibid. n. 7.

xij etiamsi Prælatus asseueret huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea te fidem minimè adhiberi volumus.

Quia verò pro depositis omnes respondere tenentur, ideò volumus vt nec Prælatus, nec aliquis Fratrum recipiat quidquam sub deposito, nisi de consensu maioris partis Capituli, & ea quæ sic recipientur, in Ecclesiæ Regestum, anno, mense, die, connotatis inserantur etiam signo eius qui deposuit ad cistam, siue scrinium, ac nomine inscripto. Quorum depositorum custodia ad Prælatum, & totum Capitulum pertinebit. Caueant tamen diligenter à susceptione depositorum, nisi euidens cogat necessitas.

CAPVT XXV.

De Rectoribus Ecclesiarum Parochialium.

6. lib. de elect. tit. 6. cap. quã sit.

CVm in reformandis moribus nostra solerter versetur intentio, ea quæ periculosa sunt, absque reformationis medio relinquere non debemus. Quantis autem plena sit periculis Religiosorum extra monasterium conuersatio, vt non solum iura testantur, *sed etiam magistra rerum efficax experientia manifestat*, quibus cauti, consulere cupientes, irrefragabili Constitutione sancimus, vt Rectores Ecclesiarum omnem suspectam familiam, & noxiam fœminarum familiaritatem à se penitus remoueant, nec inutilem, & curiosam fouere præsumant, sub pœna grauior. Nihil de rebus Ecclesiæ, siue Domus vendere, vel quouis alio titulo alienare audeant, nec Ecclesias, vel Capellas sibi commissas quomodolibet spolient, aut grauent, sub pœna excommunicationis contra alienantes.

Caueant præterea, ne supra statum suum, contra Religionis honestatem, vanum seculi ornatum sectantes, aliquam notam singularem in vestibus affectent, animaduertentes, *quia turpis est omnis pars non congruens suo vniuerso.*

D. 8. c. quæ contra.

Debent denique non tantùm Regula tradente, sed etiam indubitati iuris sententia proclamante, pro laborum releuatione, & tollenda suspicione, fratres suæ professionis patienter sustinere, non quos, & quot illi voluerint, sed secundùm ordinationem Prælati cuilibet assignatos.

Quibus sic assignatis, dicti Rectores, siue Plebani iuxta Domus sibi commissæ facultatem omnia in victu, vestitu, lectisternijs, & cæteris Regularis vitæ necessarijs secundùm Regulam hilariter satagant ministrare

nistrato. Ipsi verò fratres Rectoribus, quibus assignati fuerint, in licitis, & honestis velut suo Prælato teneantur obedire, qui otio torpere non permittantur, nec excurrere sine causa legitima, & licentia speciali, & si commodè fieri poterit cum socio secundum Regulam, vel cum ministro.

Addicimus insuper, vt quodcunque ipsis fratribus ex oblatione fidelium porrectum fuerit, vel quouis alio modo prouenerit, totum illud in manus dictorum Ecclesiarum Rectorum, mox præsentent, & præsentata diligenter conscribant, de quibus singulis, tempore congruo ipse Plebanus debitam faciat prouisionem.

Volumus ad hæc, vt quilibet dictorum Rectorum omnes oblationes, prouentus, & reditus ratione Ecclesiæ sibi commissæ, siue aliunde prouenientes conscribat, & studiosè in Regesta inferant, necnon omnia quæ pro domus regimine, ac Fratrum sibi commorantium necessitatibus exposuerit, vt sic tam de perceptis, quam de expositis semel in anno, aut aliàs quoties fuerit requisitus Prælato, & Fratribus faciat rationem.

Quodcunque autem vltra prouisionem necessariam, in pecunia, prouentibus, fructibus, oblatis, siue quibusuis alijs obuentionibus, superfuerit, totum hoc sine fraude cum consensu fratrum pro vtilitate Domus impendat.

Postremò statuimus, vt præfati Rectores, cum sibi assignatis Fratribus in sua conuersatione nihil agat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed omnis eorum actio existat vtilis alijs, & exemplaris.

Propter nocturnas vigilias, contemplationes, orationes, & Missarum celebrationes crebriores, caueant serotinas, ac diuturnas sessiones, vt maturiùs se ad quietem componant.

Cætera pro Ecclesijs monasterio subiectis ordinanda Capitulis Generalibus reseruamus. Si quis autem præmissorum transgressor extiterit, non solùm ab officio se nouerit deponendum, verùm etiam pœnis arbitrio Prælati castigandum.

CAPVT XXVI.

De Balneo, & Rasura.

QVamuis ex Regula B.P. Augustini lauacrum corporis, nisi cùm infirmitatis necessitas cogit, sit concessum, tamen quia iam longo tempore consuetus est haberi balneorum vsus, ideo vt ad cæterorum obseruantiam, feruentiùs procedatis, vobiscum dispensando miseri-

sericorditer indulgemus, vt interdum balneo vti possitis secundùm Prælati discretam ordinationem, & tantùm in Monasterio, nisi subsit causa rationabilis, & fiat de licentia Prælati speciali, vt pote ob grauem infirmitatem.

Rasura Conuentualis ad minus fiat in quindecim diebus, quæ poterit præueniri, aut prolongari propter solennes festiuitates, vel certis ex causis, prout Prælato videbitur.

Tonsura autem fiat circularis vsque ad summitatem aurium, coronam verò in summitate capitis, Clerici tam professi, quàm Nouitij sic faciant, vt quatuor digitorum latitudinem exæquet.

Conuersi tam professi, quam Nouitij tondeantur in morem Canonicorum, rasura in summitate capitis excepta, & barbas non nutriant.

CAPVT XXVII.

De modo ingrediendi Officinas.

NVllus Fratrum Officinas intra clausuram Conuentus sitas sine causa rationabili, & licentia speciali Prælati intrare præsumat, nec aliquem Officialium, siue familiam verbo, vel facto perturbare, seu quomodolibet audeat impedire.

Nemo ingrediatur domum Prælati, nisi priùs causam indicet Priori, aut à Prælato specialiter fuerit vocatus. *Porrò vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conuentus clausura perpetuò, ac diligenter seruetur, ac propterea à Præposito Ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur, is ianuæ custodiendæ semper assistat, eamq; nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.*

Nullus è Conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio licentiaq; singulis vicibus impetrata, & benedictione accepta à Præposito, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata socium q; exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sepius.

Licentia verò generales exeundi nemini omnino concedantur. Con*trauenientes autem pœna graui, etiam carceris ad Prælati arbitrium plectantur. Eandem etiam Ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.*

Cùm, quis in Conuentum reuertitur, Præpositum iterum adibit benedictionem accepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

Fami-

Fœminas nullo modo patietur Præpositus ingredi monasterium sub pœna excommunicationis earum, quæ zellent ingredi temere Summo Pontifici, reseruata, ipsius autem Præpositi eas admittentis suspensionis à Diuinis ipso facto sine alia declaratione incurrenda iuxta Bullam PP V. quæ incipit Regularium personarum. Decret. Refor Clem. n. 22.

Nullos Fratres Romam venire Præpositus permittet, nisi licentiam in scriptis impetrauerint, Si *quis autem sine huiusmodi facultate Romā præsumpserit venire voce actiua, & passiua, biennio priuatus existat subiturus etiam alias arbitratu Prælati infligendas pœnas.*

CAPVT XXVIII.

De modo eligendi Prælatum.

CApitulum volens Monasterio viduato de Pastore futuro Canonicè prouidere, Fratres absentes vocare teneatur, alioquin ipsis instantibus per Loci ordinarium cassabitur, quod in eorum absentia per præsentes fuerit attentatum, nisi absentes sint extra Prouinciam constituti.

Itaq; Canonici præsentes statuant terminum competentem pro electione celebranda, de quo fiat publicum instrumentum, in quo narrabitur, quia die tali cedente, vel translato, aut defuncto Prælato, eiusq; corpore Ecclesiasticæ tradito sepulturæ, Fratres, qui tunc præsentes erant conuenientes, eum terminum, cum continuatione dierum sequentium ad electionem celebrandam vnanimiter statuerunt; (qui terminus erit competens, vt infra illum absentes, qui vocandi sunt commodè venire possint consideratis locorum distantijs, & personarum, ac temporum qualitate, non tamen prolixus nimis, quia in electione mora est periculosa. Quando scitur vbi quis personaliter residet, specialiter vocandus erit: si nescitur, vocetur in loco, vbi morari consueuit per edictum publicum. Vocatio autem fiat sub hac forma; N. Prior, *& venerabile Capitulum Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Domus S. Nicolai Calissien. Fratri N. Plebano in N. Fraternæ vinculum Charitatis aquam mundus dare non potest pacem.*

Fraternitati vestræ significamus, quia felicis recordationis N. quondam Præpositus nostri Conuentus die N. viam vniuersæ carnis est ingressus, & corpus eius, cum reuerentia debita Ecclesiasticæ traditum est sepulturæ. Ne igitur Conuentus noster per diuturnam vacationis grauem patiatur in spiritualibus, & temporalibus læsionem diem N. mensis N. cum con-

tinuatione dierum sequentium ad tractandum de electione futuri pastoris; & electionem celebrandam, duximus statuendum. Quocirca vos requirimus, & peremptoriè citamus, quatenus die ipsa nobiscum ad Conuentum venire curetis, alioquin nos ex tunc ad eãdem procedere curabimus vestrum absentia non obstante.

Hæ literæ erunt apertæ, & de præsentatione illarum fiet publicum instrumentum, vel aliàs protestatio fide digna, ne possit electio malitiosè impediri.

6. lib. de elect. tit. 6. c. si quis §. absq. *Absens non poterit aliquatenus per literas exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secretè, & sigillatim tantũmodo exprimendum.*

Decret. Refor. Clem. n. 35. *Porro, vt omnis officiorum ambitus praecludatur occasio, caueant omnes a directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro seipsis, quam pro alijs. Quicunq; secus fecerint prater alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, qua obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quaecunq; pariter inhabiles habeantur; super quo, cum eis dispensari à nemine posse, nisi a Sede Apostolica, & pro qualitate culparum grauiùs, etiam plectantur, Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, & simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.*

Ibid. nu. 36. *Vt verò in Pralati, ita, & quorumuis Officialium electionibus forma praescripta à Sacro Concilio Tridentino, & Constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentq; electores, secundùm veritatem cuiusq; conscientia probiores, ac magis idoneos se esse electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniatur in primis, & ante omnia perlegant Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad Pralaturam illi pracipuè eligantur, qui possint, & consueuerint Regulam Ordinis, & Constitutiones obseruare, praesertim, qua pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.*

Omnibus igitur die statuto simul in Ecclesiam cõuenientibus, Missa de Spiritu Sancto, celebretur, qua finita ad locum electionis congregati hymnum *Veni Creator*, decantabunt, versiculum, & collectam subiungente Priore. Qui ad omnes Fratres congregatos conuersus, nomine suo, & singulorum omnium, moneat omnes excommunicatos, suspensos, & interdictos, necnon, & quoscunq; alios, si qui essent inter eos forsitan, qui de iure, & consuetudine interesse, in ipso electionis negotio, non deberent, vt recedant de Capitulo, alios liberè eligere permittentes, protestans, quod non sit sua, vel aliorum intentio, tales admittere, tanquam ius in electione, non habentes, aut procedere, seu eligere cum eisdem; imò velle, vt voces eorum, si qui reperirentur fuisse postmodum, nulli praestent suffragium, nec afferant

ferunt aliqui nocumentum, & prorsus pro non receptis, seu pro non habitis habeantur: Nam si admitterent, scienter excommunicatum, nulla esset electio; & hac vice priuarentur eligendi potestate. in 6.lib.de el iunct.glossa.

His peractis diligenter deliberent timore Dei præ oculis habito, nec eos decipiat amor, vel odium, non fauor, aut pecunia, quæ humanos solent peruertere sensus, vt is, quem in Prælatum eligere voluerint, sit vtilis ad iura monasterij conseruanda, & de legitimo matrimonio, ac vtroq; parente Catholico natus, competentis scientiæ, sufficientis ætatis, nullis censuris Ecclesiasticis irretitus, in sacris Ordinibus constitutus. *Celebrari autem electio debebit per vota secreta, ita, vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec liceat voces, & suffragia absentium supplere, alias electio irrita esset.* Trident. sess. 25.c.6.de Reg. 6.lib.1.de ele. c.Cum expen.

In quem autem maior, & sanior pars capituli consenserit hic electus legitimè censeatur.

Celebrata itaq; diligenter electione, & examinatis secretò per scrutatores vocibus, ab ijsdem publicetur electus, qui modeste onus recusabit, tamen ne videatur diuinæ volũtati resistere, demissè acquiescet.

Quo facto legatur coram electo, & Conuentu Capitulum de stipulatione facienda, per electum in Prælatum, & secundùm formam cõtentam in eadem, requiratur electus, vt promittat coram Notario, & testibus ad hoc vocatis, omnia inibi contenta se fideliter seruaturum. Porrò attendant diligenter, ne pactum aliquod Canonibus inimicum, aut sponsionem, siue promissionem ab electo requirant in damnum, & præiudicium Conuentus, siue Ecclesiæ; cùm sacris Canonibus disponentibus sine pactione, conditione, & diminutione de beneficijs prouideri debeat, ne labem simoniacam, & exinde suspensionem incurrant, nihilque addant ad præscriptam stipulationis formam; quam vbi fecerit electus, pulsentur campanæ, ille verò processionaliter ad Ecclesiam inducatur inter duos seniores procedens. Cùm ad Ecclesiam peruenerint, Electo ad gradus summi altaris genibus flexis procumbente. *Te Deum laudamus*, pro gratia; um actione more solito decantetur, & populo congregato per Fratrem ad hoc idoneum, deputatum per Capitulum, publicetur electio coram Clero, & populo. Finito *Te Deum laudamus*, subiungat senior, Versiculos.

Saluum fac seruum tuum.
Mitte ei Domine auxilium de sancto.
Nihil proficiat inimicus in eo.
Esto ei Domine turris fortitudinis.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super hunc famulum tuum dexteram cœlestis auxilij, & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

His peractis intronizetur, seu installetur coram Notario publico, & testibus ad hoc vocatis, intronizatum autem more præscripto, Capitulũ præsentabit Domino Loci ordinario supplicans ipsum confirmari.

Cùm autem per mutuum consensum eligentium, & electi quasi fœdus spiritualis matrimonij contrahatur; volumus, vt in electionibus quarumlibet Ecclesiarum, seu Conuentum Canonicorum Regulariũ arbitrium liberum electoribus conseruetur, vt secundùm Deum, & rectam conscientiam vacanti Ecclesiæ, ac Conuentui valeant de Pastore prouidere idoneo.

Quia verò nonnullorum detestanda cupiditas culmen dignitatis ambiens, contra electores huiusmodi, secularem concitare soleat potestatem, per quam pleriq; à dictis electoribus per minas, siue alium abusum à sacris Canonibus reprobatum, eliguntur, imò veriùs intrudi se procurant, ideo temerarijs ausibus viam præcludere cupientes, & sanctorum Patrum vestigijs inhærentes statuimus, vt si quispiam vacante Præpositura, directè, aut indirectè publicè, vel occultè contra Electores potestatem secularem côncitauerit, aut minas, vel impressiones ordinauerit, seu comminatorias Epistolas de se eligendo, ad dictos electores procurauerit, aut aliquod impedimentum in bonis vacantis Ecclesiæ, seu Præpositurae præstiterit, siue ipsa bona occupari subordinauerit, tanquam ambitiosus, & publici iuris turbator Excommunicationis sententiam incurrat ipso facto, & nihilominus, si in electionem per huiusmodi minas, vel impressiones, vel aliquem abusum, contra Ecclesiasticam liberratem consentire præsumpserit, & electionis commodo careat, & ineligibilis perpetuo existat, nec absque Sedis Apostolicę dispensatione ad aliquam deinceps valeat eligi dignitatem. Qui verò electionem huiusmodi, quam ipso iure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare, ab officio, & beneficiis quibuiuis suspendantur, eligendiq; potestate sint pro hac vice priuati.

6. de elect. li. 1. tit. 6. c. Ex eo.

Cæterùm quandocunq; electionem fieri contigerit iuris authoritate constituimus: *vt hi, qui non sunt expressè professi, non possint cum Professis, vel Conuersi Laici, cum Clericis electionibus interesse:* Nec aliquis in Capitulo quocunq; vocem habeat, nisi in Subdiaconatus Ordine fuerit constitutus.

Nullus ad Prælaturam Religionis eligatur, nisi antea fuerit expressè Ordinem professus, quod si secus actum fuerit eo ipso irrita electio habeatur.

Postre-

Postremò caueat electus, ne ante confirmationem aliquam *administrationem in spiritualibus, vel temporalibus oeconomatus, vel procurationis nomine, aut alio quocunq; quæsito colore, per se, vel per alium pro parte, vel in totum gerere, vel recipere; aut illis se immiscere præsumat, quod si secus fecerit iure quod ei per electionem fuerat acquisitum, eo ipso priuatum se per sacros Canones sciat in 6. lib. 1. de elect. tit. 6. cap. Auaritia.* Ibid. c. Auaritiæ.

Cauebit item diligenter electus *etiamsi concordibus suffragijs fuerit celebrata electio, ne procurare audeat confirmationem, non præmissis literis Crida in Ecclesia electionis publicandis, & non vocatis ijs, quorum interest, aut interesse quomodolibet poterit. Vocationem autem huiusmodi nominatim, vbi est coelectus, vel apparet oppositor; alias generaliter in Ecclesia in qua electio facta est, vt si qui sit, qui se velit opponere compareat, assignato peremptorio termino competenti, faciendam esse censemus, quæ, etiamsi electio in cõcordia celebrata fuerit volumus obseruari iuxta c. Quoniam in 6. de elect. tit. 6. alias tales confirmationes viribus omnino carere, ipsasq; decernimus irritas, & inanes.* Ibid. c. Quoniam.

CAPVT XXIX.

Qualis debeat esse Prælatus.

PRælatus, qui sanctæ, & Canonicæ præest Congregationi, attendat, quòd locum Christi in monasterio tenet, vt sic eius viuendo, teneat exemplum, cuius in se gerendi suscepit magisterium; & quos præcedit dignitate ordinis, studeat præcedere sanctitate operis, vt verbo, & opere, subiectis suis dicere possit cum Apostolo. *Imitatores mei estote, sicut, & ego Christi.*

Caueat ne quid contra Canonicam Regulam faciat, aut doceat; nec de potestate ordinis se extollat, nec præesse cæteris gaudeat, sed prodesse memor sententiæ sapientis, qui dicit *Rectorem te posuerunt noli extolli, sed esto in eis quasi vnus ex ipsis:* Nam quicunq; desideauerit primatum in terra, inueniet confusionem è cœlo.

Debet Prælatus sacræ lectioni quantũ potest intendere, & ad SS. Patrum vitam attendere, quatenus ex ijs addiscat, quid agere debeat, & docere. *Si enim Prælati peruersa pepetrant, tot mortibus digni sunt quot in subditos suos exempla perditionis transmittunt*, & non immeritò, nam quod agitur à Prælatis facilè trahitur à subditis in exemplum.

Quemadmodum verò ipse lectioni attendet, *ita bis hebdomada lectionem sacræ scripturæ, vel casuum Conscientiæ constituet ad quam Fratres omnes conuenient, eaq; absoluta mutua collatione circa explicatam doctrinam sese exercebunt.* Quia

Quia verò Prælati ad hoc ordinati sunt, vt iniustitiam remoueant, & præsumptiones abscindant; ideo Prælatus instar periti medici diuersis vitiis, diuersa studeat adhibere medicamina iuxta illud Apostoli. *Argue, obsecra, increpa, &c. Corripiat igitur inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes.* Si enim peruersos, aut metuit, aut erubescit corrigere, *nihil aliud facit, quàm fauere impietati eorum, cùm non careat scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.*

Causa 1.3.q.4. Qui nō potest obuiare.

Debet præterea non solùm spiritualium, sed etiam secularium negotiorum habere peritiam, secundùm sacrorum Canonum sanctiones, vt sic de spiritualibus cogitet, ne curam temporalium relinquat, sicq; temporalia curet, vt in spiritualibus solicitudinem non omittat.

Clement. Ref. Decret. n. 2.

Nullā administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemq; pecuniarum & redituum Conuentus, etiam nomine Conuentus per seipsum habere, seu exercere possit, sed vniuersum id tribus Fratribus, nempe Collectori, & Depositario, ac Prouisori ab eo detur, vt vnus rerum, & bonorum redituumq; colligendorum, ac exigendorum curam habeat: alter pecunias, & cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet: tertius de pecunijs, & rebus a Collectore acceptis Fratribus, & Conuentui vniuerso de necessarijs, mandante tamen ipso Prælato, non secundùm proprium affectum sed iuxta Charitatis regulam, veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

Ibid. n. 13.

Cæterùm hi tres tam impensi, quàm accepti singulis mensibus ipsi Præposito, adhibitis etiam duobus Fratribus eiusdem Conuentus probatioribus rerumq; vsu peritis rationem reddant. Deinde ipsimet rursus eodem præsente, & peritis prædictis, in quolibet proximo Capitulo generali, saltem coram tribus iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc institutis, illorum omnium vniuersaq; sua administrationis, tàm publica, quà in priuata, rationem reddere teneantur: cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli, describatur.

Attendet etiam Prælatus diligenter, vt Constitutio Clem. VIII. in Bulla 25. quā incipit Religiosè, interdicens largitionem munerum Regularibus, inuiolabiliter obseruetur, qua disponit, vt nulli Regulari fas sit omnino, quidquam donare cuiquam sub pœna priuationis omnium dignitatum, gradum, munerum, & officiorum ipso facto incurrenda, & inhabilitate perpetua ad eadem in posterum obtinenda, ac nota perpetua infamia, & ignominia. & præterea priuatione vocis actiua, & passiua, absq; vlla Superioris decreto: necnon contra huiusmodi tanquam furti, & Simoniæ criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ quam etiam ex officio processu, & inquisitione, atq; condignarum suppliciorum, & pœnarum à iure statutarum extensione.

Quod

Quod si aliquis ab aliquo Religioso, aut Superiore quidquam receperit id, quod accepit suum non faciat. Verùm ipso facto absque aliqua monitione, iudicis decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem omnino in vtroque foro teneatur ei Monasterio, Domui, vel alteri loco de cuius bonis facta est largitio, siue donatio.

Curabit præterea rationes officij sui accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari, neque in alios vsus quàm ratione officij sui necessarios quidquam expendat. Cum verò contigerit ipsum extra Conuentum commorari eam pecuniæ quantitatem ex communi percipiet, ex qua sibi, & ijs qui secum erunt victus ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur. Clem. Decret. Reform. n. 18.

Attendet insuper quàm diligentissimè, vt Sacrosancti Concilij Tridentini præceptum instauranda Regularis disciplinæ plenè obseruet, quo præcipitur, vt omnes Regulares ad Regulæ quam professi sunt præscriptum vitam instituant, & componant. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 1.

Vt igitur gregi sibi credito deuotæ seruitutis impendat officium, sit compositus ad mores, feruidus in dilectione, mansuetus in societate, stabilis in promisso, fortis ad patientiam, pronus ad concordiam, rigidus ad censuram, sit in iudicijs rectus, in loquendo modestus, in iubendo discretus, in dispositione industrius, in agendo strenuus, in auxiliando solicitus, in consilijs fidus, in responsionibus circumspectus. Exhibeat se Domino Loci Ordinario deuotum, subditis blandum, Fratribus affabilem, rigidum superbis, benignum humilibus, pœnitentibus misericordem, obstinatis inflexibilem, ita feruеat zelo rectitudinis, vt nunquam discedat à corde dulcedo charitatis. Penset postremò in quanto versetur periculo, qui de tot animabus sit rationem Domino redditurus: Quamobrem admoneat sibi subiectos de timore Dei pariter, & amore, de præceptis Regulæ, & obseruantia disciplinæ, nec confidat in suo sensu, aut scientia, non vilipendat Fratres suos, sed plus ab ipsis amari appetat quàm timeri: Die, noctuque in oratione, se, & gregem sibi creditum omnium Domino commendet, vt per eius adiutorium sic mereatur viuere, quatenus ad cœlestem patriam, vnà cum grege sibi commisso valeat peruenire.

CAPVT XXX.

De stipulatione facienda ab electo in Prælatum.

QVamuis communis vita omnibus sit necessaria iuxta Sacrorum Canonum sanctiones, ijs tamen maximè, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolicam, eorumque 12. q. 1. cap. Dilectissimi.

 disci-

discipulorum imitari volunt. Ne igitur à tramite veræ professionis in posterum quouis modo recedendi occasionem habeatis, statuimus, vt nullus Prælatus, vel Officialium aliquis bona monasterij mobilia, vel immobilia, vt propria sibi vendicet, aut census, vel reditus, siue quæcunque sibi, siue monasterio quocunque titulo (sicut nec alius quis Frater vt supra ex Decretis Reform. Clementis VIII.) obuenientia, vel ad illud deuoluta, seu in posterum deuoluenda, sed omnia communi cedant vsui, secundùm Prælati dispositionem congruè ordinandam. Et non solùm aliquid vt proprium sibi quisquam Fratrum non vendicet, imò nec proprium, aut suum appellet, sed omnia dicat nostrum, exceptis culpis, consanguineis, cognatis de quibus licitè meus, aut mea dicat.

Cùm autem Prælatus rerum monasterij non Dominus, sed Procurator existat, ideoque vt cunctam Fratribus necessaria, iuxta Regulam liberiùs dispensentur, ordinamus, vt Prælatus qui est, vel qui pro tempore fuerit, victualia pro sui quotidiano vsu non recludat, nec per familiam sibi deputatam faciat obserari, sed omnia sibi, & Fratribus sint communia, & de his secundùm Regulam, prout vnicuique necessarium fuerit præbeatur. Et quia Prælatus Ecclesiæ suæ conditionem meliorem facere debet, deteriorem Sacri Canones prohibent, idcirco adijcimus, vt Prælatus nequaquam pro vllo debito fideiubeat, aut aliquid pro vadimonio promittat, nec aliqua clenodia monasterij per se, vel per alios impignoret, nec aliqua debita contrahat, nisi super hoc totius Capituli, vel saltem maioris, aut sanioris partis consensum obtineat expressum, adiungentes, vt structuras non necessarias, & sumptuosas non erigat in dispendium monasterij, & iacturam.

Insuper cùm absurdum sit, vt prætextu commissionis dispensandarum rerum, in alio toleret, quod in seipso condemnat, ideo volumus, vt Prælatus ipse à Fratribus suis cuiuscunque status, & conditionis existant, vitium proprietatis abscindat, nec permittat eos, sicuti nec debent aliquid habere proprium, nec dispensare audeat cum aliquo vnquam, quocunque colore exquisito, cùm author vestræ Regulæ S. Augustinus hoc habere noluerit, qui ait: *Qui proprium habuerit, & de proprio viuere voluerit non mecum manebit, nec Clericus erit, sed delebo eum de tabula Clericorum*.

Sciat igitur nullam prorsus dispensationẽ fieri posse, vt (quod absit) aliquis Fratrum proprium habere possit, cùm ea non tam iuris esset, quam facti. Siquidem proprium habere contra Regulam sit, & Decretis Clementis VIII. Reformationis Regularium, & Sacrosancto Concilio Tridentino manifestè repugnet. Prælatus autem non supra

Regu-

Regulam cui semel & ipse sponteanee se submisit; sed super Fratrum transgressiones est constitutus, vt mandatorum custos existat, & vltor vitiorum. Quare illud releget diligenter: *Non aestimes Praelatus quòd super habenda proprietate possit cum aliquo dispensare; quia abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulae, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* lib. 3. tit. 35. de stat. Monachorum.

Si quis Fratrum deprehensus fuerit proprium habere manifestè, vel occultè, Regulari monitione praemissa, nisi poenituerit ab altaris communione amoueatur; & si in extremis cum peculio repertus fuerit, & dignè non poenituerit, nec pro eo fiat oblatio, nec Ecclesiasticam accipiat sepulturam; & pecunia sua sit secum in damnationem.

Quoniam autem Canonici Regulares acta Apostolorũ, Regulae suae tenore, debeant imitari, qui elegerunt viros plenos Spiritu sancto, quos constituerunt super opus temporalia ministrandi, ipsi verò orationi, & ministerio verbi erant instantes; Vt Praelatus aliorum adnixus suffragijs, sollicitudini, gubernationi, prouisioni, curae, & regimini monasterij, & Fratrum saluti, tam in spiritualibus, quam in temporalibus eò diligentiùs intendere, & pleniùs prospicere possit, ordinamus, vt ipse de consilio Capituli eligat, ac instituat boni testimonij viros fideles, & prouidos ex Fratribus in Collectorem, Depositarium, & Prouisorem omnium fructuum, censuum, & redituum, & quorumcunque Monasterij prouentuum. Officiales autem sine murmure, & contradictione pro necessitate, & vtilitate monasterij, Fratrum infirmorum, vel pauperum, iuxta dispositionem Praelati, aut eius vices gerentis in absentia fideliter administrent, adijcientes, vt quilibet ex supradictis Officialibus Praelato, & Conuentui singulis mensibus de perceptis, & expensis, rationem reddere teneatur.

In quarto autem anni quadrante, festum Exaltationis Sanctae Crucis sequente, vna generalis, & annualis omnium perceptorum, & distributorum totius anni peracti, fiat computatio, quae vt fieri valeat commodiùs, statuimus: vt omnes prouentus, fructus, census, & reditus in duobus libris, siue regestis plenariè, & distinctè conscribantur; quorum vnum habeat Collector, alterum Depositarius, ex quibus Regestis collata summa percepta, cum distributa, clarè pateat, an Monasterium illo anno iacturam laborauerit dispendio, aut ex fideli regimine perceperit incrementa, vt eo cognito de futuris magis prouideatur.

Caeterùm cùm Praelatus pastor Fratrum existat, qui omnium bonorum operum, se praebere debeat exemplum, & secundum Apostolum

lum in se ostendere, quomodo alios in Domo Dei oporteat conuersari, idcirco adijcimus, vt sine rationabili causa, quæ suę conscientiæ relinquitur, extra Diæcesim diu non moretur, & peracto professionis suæ negotio, quantocyus ad Monasterium redeat. Neque extra quocunq; fuerit ire necesse prodeat, quin secum iuxta Regulam adminus vnum de Fratribus loco Capellani ducat.

Præterea damnis, & periculis Monasterij, viam præcludere quantum possumus, volentes, statuimus: vt Prælatus studeat vitare causas extraneas, vt incendiariorum, & huiusmodi, quarum occasione Monasterio inferri possit nocumentum, nec eas quarumcunq; personarũ intuitu ad decidendum assumat, ne delictum personæ contingat in damnum Ecclesiæ redundare, nec causas grauiores Monasterij, sine Capitulo, vel eius parte saniore concludat, mediocres cum consilio seniorum expedire poterit.

Si quid in disponendis rebus difficultatis emarserit, ad Conuentum referatur, hoc in singulis consilijs, & negotijs tractandis obseruato, vt Prælatus Fratres audiat sine strepitu, quod melius sibi videbitur, de plano concludens, quod vt fidelius exequatur meminerit edicti:

Cap. Cum ad Monasterium lib. 3 tit. 35. de statu Monachor.

Prælatus cui omnes in omnibus reuerenter obediant, quanto frequentius poterit, sit cum Fratribus in Conuentu vigilem curam, & diligentem solicitudinem gerens de omnibus, vt de officio sibi commisso, dignam Deo reddere possit rationem. Quod si præuaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, siue negligens, aut remissus, pro certo se nouerit, non solùm ab officio deponendum sed, & aliomodo secundùm Canones castigandum.

Insuper iuris dispositionem sequentes ordinamus, vt Prælatus si communi Fratrum refectioni propter causas occurrentes in Conuentu adesse non poterit, nihilominus ad mensam domi suæ, ne sit cibi spiritualis expers, lectionem adhibeat, nisi fortasse personas tales habuerit, propter quarum præsentiam eam intermitti oporteret. Benedictionem tamen mensæ, & gratiarum actionem stando dicat.

Vt autem præscripta firmiùs obseruentur statuimus, vt quilibet electus in Prælatum requiratur per Priorem, vel alium Fratrem seniorem ex parte Capituli coram Notario, & testibus, vt præmissum est, an statuta, & puncta suprascripta cum clausulis, in Capite de Conseruatione sigillorum positis, fide data manuali, & viua voce sub testimonio obedientiæ suæ, quam fecit in professione, fideliter absque fraude, ac dolo promittat obseruare, quod si facere noluerit, nullus sibi de Fratribus obedientiam exhibeat, nec ad aliquam administrationem temporalium admittatur, sed cadat à iure per electionem acquisito.

Si verò Prælatus quod absit salutis immemor vnum, vel plu-

res

res articulos principales, & notabiles de prædictis soluerit, cum effectu, aut aliud aliquid fecerit, quod tolerari omnino non debeat, nec deceat, Prior cum Senioribus Fratribus ipsum charitatiuè admonet, & vt se emendare studeat diligentiùs hortentur.

Qui si admonitus se corrigere neglexerit, ipse Prior, & seniores hoc Domino loci Ordinario, qui pro tempore fuerit, denunciare debent, qui visitatione præuia, transgressorem censura compellat Ecclesiastica, ad obseruantiam prædictorum.

Nolumus autem transgressoris nostræ prædictæ Constitutionis denunciatores, sub denunciati vindicta, & pœna aliqua, propter hoc teneri, nec communitatem, mandatis contrarijs in aliquo obedire, alioquin si transgressor Prælatus, Fratres quouis modo propter hoc vexare tentauerit, ad ipsius depositionem secundùm formam iuris quantocyus procedatur.

CAPVT XXXI.

De electione, & Officio Prioris.

CVM integritas Præsidentium secundùm Sacros Canones sit salus subditorum, idcirco oportet Fratrem, qui in Priorem erit eligendus boni testimonij esse virum, cui onera regiminis securè possint committi.

Non enim constituendus erit ex ordine senij, quo in Fratrem collegialem per professionem est assumptus, sed secundùm meritum, & prærogatiuas donorum; qui in Congregatione sit assiduus, & Fratrum curam peruigili studio gerat, & sicut præcedit cæteros ministerio, ita etiam innocentis vitæ, & doctrinæ informet exemplo, vt sit præ cæteris post Prælatum, *potens opere, & sermone, ac exemplo vitæ, verboq; doctrinæ Fratres instruere possit in bono, & à malo reuocare. Zelum Religionis habens secundùm conscientiam, vt delinquentes corripiat, & castiget, obedientes foueat, & confortet.*

Cap. Cum ad Monasterium lib. 3. tit. 35. de statu Monachorum.

Quoties igitur Prioratus officium vacare contigerit, volumus vt Fratres plenam habeant potestatem ex seipsis Priorem eligendi per hunc modum; vt Prælatus, qui de omnibus habere curam solicitè debet, cùm sibi visum fuerit, aduocet seniorem, eique committat, vt statuto tempore omnes, ac singulos Fratres qui erunt in Monasterio, vnà cùm Officialibus ad Capitulum conuocet, vt vt ad Prioratus officium, vnus de iis, concorditer eligatur. Quibus Capitulariter congregatis, inuocata sancti Spiritus gratia,

per Antiphonam *Veni sancte Spiritus*, concludendo cum versu, & collecta. Idem Senior omnes moneat, & hortetur, vt matura deliberatione præhabita Deum habendo pre oculis vtilitati communi, non commodo proprio consulant ad electionem futuri Prioris procedentes, adiunctoque sibi vno de senioribus, primò suas deinde Fratrum voces secretò iuxta præscriptum Sacrosancti Concilij Tridentini excipiant, omniaq; alia iuxta formam inibi constitutam, quemadmodum in electione Prælati supra ordinatum est, diligenter obseruabunt. Exceptis singulorum vocibus, in quem omnes, vel maiorem, & saniorem partem Capituli consensisse compererint, hunc eligant in Priorem. Quo sic, vt præfertur electo, & nominato ijdem, aut alij duo ex senioribus, Prælatum adibunt illi supplicantes, quatenus dignetur intrare ad Fratres capitulariter congregatos, non tamen ei significent de persona electi, quouis modo; quo ingrediente omnes assurgant, & cum reuerentia se inclinent, tam diu stantes quousque Prælatus sederit. Omnibus deinde sedentibus vnus de senioribus pronunciet, ac nominet ipsum electum, Prælato totius Conuentus nomine, instanter supplicans quatenus eum rite, ac vnanimiter electum in Priorem velit assumere, prædictum officium ei cōmittendo. Quo facto idem electus coram Prælato humiliter stans se excuset, sed Fratribus in supplicatione persistentibus, iniunget eidem Prælatus in remissionem peccatorum officium Prioratus. Qui mox prostratus tam diu iaceat, donec stantibus singulis, Prælatus orationem super eum faciat, præmittendo versiculos:

Saluum fac seruum tuum.
Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Tuam Clementissime Deus omnipotentiam supplices deprecamur, vt super hunc famulum tuum, quem tuo seruorumq; tuorum obsequio mancipamus, spiritum sapientiæ, intellectus, & discretionis digneris infundere: dona ei Domine in hac Domo tua, ita iniunctum sibi officium administrare, vt tibi placere valeat, & vtilitatem seruorum tuorum, te auxiliante perfectissimè compleat, propter quod hic, & in futuro sæculo mercedem laborum suorum in consortio Sanctorum tuorum, à te pijssime percipiat largitore per Christum Dominum nostrum, Fratribus respondentibus, *Amen.*

Ad iussum Prælati surget, & ad latus eius sedebit, præcipietq; Prælatus omnibus, vt reuerentiam ei exhibeant confereta; eidem potestatem inobedientes corripiendi, & obedientes ad meliora prouocādi.

Sem-

Semper deinceps Prior in finistro Choro supremus stabit, in Refectorio, ad prandium, cœnam, & collationem, primum similiter locum post Prælatum habebit.

Ab hora electionis suæ debet esse assiduus in omnibus horis nocturnis pariter, & diurnis, nisi causa rationabili excusante, de qua Prælato constare debebit.

In omnibus festis duplicibus omnes horas tenere, & summam Missam cantare tenetur. Similiter in festis primæ, & secundæ classis absente Prælato.

In vigilia Natiuitatis Christi, & tribus diebus ante Pascha: tenebitur etiam quoties summam Missam cantauerit, aut aliàs in festis primæ, & secundæ classis, absente Prælato, dare benedictionem ad mensam.

In Matutinis absente Prælato, dabit benedictionem pro lectionibus, singulis item Dominicis diebus, & festis lectionem Nonam leget, & *Te Deum Laudamus*, incipiet.

Item officium illius est ante matutinum officium, ad Capitulum, Vesperas, & vigilias, dare signum pulsu Campanæ dormitorij.

Idem tenetur prouidere, vt Diuinũ Officium debito modo secũdùm rubricas Breuiarij Romani, festa Sanctorum, & processiones iuxta Rituale Prouinciæ Gnesnensis, & vsum Ecclesiæ Metropolitanæ peragantur: accentus quoq; ac toni in lectionibus, Epistolis, Euangelijs, collectis, ne varientur, aut noui introducantur; sed vt conformes Ecclesiarum Magistræ Cathedrali, diligenter obseruentur attendere, & in his defectus occurrentes corrigere.

Singulas Missas, siue cantandas, siue legendas accuratè ordinabit, & ne quid ex Diuinis omittatur officijs, solicitè cauebit.

Ad ipsum quoque spectabit ordinare lectionem ad mensam, ita vt Regula B. Augustini singulis Sabbatis legatur, nisi propter festum, aut aliquam causam rationabilem anticipanda videatur ipsius lectio: Corpus bibliorum expedit, vt si fieri poterit, per annum decurratur.

Ipsius quoq; officium erit, Conciones diebus celebribus ad populum in Ecclesia ordinare, & ne ita prolixæ habeantur, vt officium diuinum, siue horas Canonicas, aut Conuentualem Missam, decantari festinè oporteat, curare.

Absentis Prælati vices in omnibus obire, omnem solicitudinem, & curam rebus disponendis quam optimè impendendo debebit, adhibito discretorum Fratrum consilio.

Omnes Officiales absente Prælato ipsi obtemperabunt, si quid autem grauius interuenerit, ad Prælati aduentum differetur, nisi specialiter is expediendum Priori commiserit.

Causam

Causam notabilem nec ipse, nec Capitulum, in absentia Prælati definiat. Nouitios non suscipiat, nec ad professionem probatos. Nullum Officialium vel instituat, vel destituat, neque aliquid de consuetudinibus immutet.

In habitu, & vestitu se habeat, vt alius Frater. Si autem absente Prælato extra monasterium ipsum contigerit proficisci, causam itineris Fratri seniori explicabit, & suas illi vices committet.

Prælato defuncto, aut aliàs amoto, Prior vices Prælati gerat in omnibus, donec electus fuerit confirmatus.

Eius insuper officium erit insinuare Prælato, vt obitus Fratrum Monasterij, ac locorum aliorum, fraternitatem vobiscum habentium quantocyus intimentur.

Atque vt his, & alijs ad suum officium negotijs pertinentibus expeditius intendere possit, volumus, vt sine causa rationabili, nequaquam alijs occupetur officijs; ipse enim debet esse assiduus cum Fratribus in Choro, Refectorio, ac Dormitorio, cellas interdum Fratrum reuidendo, vt si quid ibi, quemadmodum, & in locis alijs inordinatum, vel contra Regularem disciplinam deprehenderit, in Capitulo quantocyus corrigat, & emendet. Fratres omnes debent Priori reuerentiam exhibere, vt quoties in Choro, Capitulo, Refectorio transierit, dūtaxat assurgāt, vt sit inter eius & Prælati honorem discrimen.

CAPVT XXXII.

De officio Collectoris.

VT communem vitam, quam Apostolorum tramite ducente, Regulam in manibus Prælati profitendo, spopondistis, obseruare satagatis, ordinamus, vt ipse Prælatus de consensu Capituli eligat boni testimonij virum, fidelem, & discretum ex Fratribus in Collectorem, qui omnes census, & prouentus ipsius Monasterij fideliter colligat, & quidquid in pecunia collegerit, Depositario integraliter præsente Prælato tradat: frumentorum verò, & leguminum, atque reliquorum fructuum eidem Prælato sicut, & armentorum, pecudum, ouium, suum, anserum, gallorum, in omnibus tribus prædijs inuentarium exhibebit singulis annis renouatum, post octauam Epiphaniæ coram Fratribus Capitulariter congregatis, vt constare possit quantum remaneat fructuum ad dispensandum, & ita maturè occurri possit necessitatibus Monasterij.

Ipse præterea debebit causas monasterij in quocunque foro stre-

nue defendere, nisi talis causa euenerit, quæ vires illius excedat, tunc enim Prælatus prouidebit ne Domus detrimentum patiatur.

Prohibemus autem serio ne in notabili quantitate pecuniam penes se detineat, sed illam statim in ærarium commune Depositario, vt supra dictum est, inferendam consignet.

Nihil vnquam de bonis monasterij cuiquam donabit sub pœna in Bulla Clementis expressa, quæ incipit, *Religiosi*, sed neque mutuo dabit, nec accepit, nec vendet quidquam, aut quouis modo alienabit sine consensu Conuentus, & Prælati licentia speciali, neque deposita vlla recipiet.

Porrò causas monasterij officium ipsius vt potè circa collectionem prouentuum, & censuum concernentes, quæ sine tumultu, ac strepitu discuti non poterunt, iuxta temporis exigentiam, ac personarum occurrentium qualitatem, in ædibus solitæ residentiæ Prælati, ipso præsente, ac eas definiente, adhibito iurisperitorum consilio, tractabit.

Ipsius quoque muneris erit familiam conducere, sagaciter regere, pretium tempore competenti sine dilatione persoluere, quos tamen de familia putauerit amouendos Prælato significabit, & causas amotionis explicabit, pecuniam verò qua familiam expediet, à Depositario cum scitu Prælati, iuxta descriptionem conductionis vniuscuiusque famuli, accipiet.

Idem mechanicos artifices ad conseruanda sarta tecta, tam Domus Prelati, quam Monasterij, & ad quascunque operas necessarias præstandas conducet cum scitu Prælati, & tempore suo finitis laboribus, pretium vnicuique à Depositario recepta pecunia, rependet.

CAPVT XXXIII.

De officio Depositaria.

VBi temporalia deficiunt, spiritualia subsistere nequeunt, secundùm Canonicas sanctiones; vt igitur possessiones Monasterij vestri, ac cura rei domesticæ magis ordinate gubernetur, volumus, vt iuxta Decreta Reformationis Regularium Clementis VIII. Prælatus virum idoneum, & maturum constituat, qui curam fidelem totius depositi Communitatis gerat. Cuius officium sit pecunias omnes tam à Collectore censuum, & redituum, atque quocunque nomine appellentur fructuum Monasterij, quàm à singulis personis quocunque nomine acquisitas, siue eleemosynas ex concionibus, lectionibus pro Missis tam in propria Ecclesia, & Capellis sibi subiectis, quam

G vbi-

vbicunq; celebrandis alicui Fratrum iusto labore,& causa quæsitas,siue subsidia consanguineorum,piorum largitiones,legata,aut donationes, in commune Domus ærarium inferre,ac ex eo septimanatim Prouisori pecuniam in vsus necessarios,ex arbitrio Prælati promere, atq; in generalem calculum, quantum, & pro quibus rebus in septimana expenderit,inferre, singulis mensibus, cum Collectore, ac Prouisore habiturus rationes,coram Fratribus Capitulariter congregatis præsente Prælato,& Regesta singulorum subscribente.

Quidquid igitur Fratres singuli monasterio laboribus supra expressis acquisiuerint, aut ab administratione sacramentorum pro sepultura,vigiliis,& quibuscunq; obuentionibus,anniuersariis,processionibus, introductionibus, benedictionibus, exorcismis, strenis, columbationibus, & censibus inscriptis,perceperint ipsi Depositario, vna in septimana die per Prælatum assignanda,semper exhibebunt capitulariter præsente Prælato,atq; simul, ibi; distributio in omnes , vsus necessarios per Prælatum assignabitur in septimanam. Ne autem confusionem in Regestis habeat, seorsim,quid à singulis Fratribus perceperit conscribet, atq; in libro distincto quantum in vsus Fratrum expenderit,fideliter annotabit.

CAPVT XXXIV.

De Officio Prouisoris.

PRouisorem vnum ex Fratribus constituet Prælatus, qui, & prouidentia circumspectus, & in temporalibus, rebus disponendis sit æquè fidelis, atq; solicitus, qui iuxta Decreta Reformationis Regularium Clementis VIII. de pecuniis,& rebus à Depositario acceptis Prælato, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso, de necessariis, mandante tamen ipso Prælato, non secundùm proprium affectum, sed iuxta Charitatis regulam, veluti bonus dispensator prouideat.

Ad ipsius curam spectabit, vt omnia victualia monasterij, vniuersaq; necessaria ad coquinam,cellarium,pistrinum,braxatorium, & officinã dispensationis maturè inferat,à Collectore percepta.

Habebit Regesta duo,in quorum vno perceptam pecuniæ summã à Depositario,in altero res in officinam dispensationis illatas à Collectore describet, vbi non tantùm farinæ, leguminum omnium,sed etiã anserum,pullorum, ouorum, casei, ac butyri, descriptam rationem habebit, quæ de tribus prædiis,per manum Collectoris, vel iuxta ipsius regestum recipiet.

Quoniam

Quoniam verò prædiorum curâ habebit Collector, vt maturè conseminentur, & fructus de ijs colligantur, & duorum braxatoriorum intendet prouentibus; ideò Prouisoris erit officium, ad braxatorium monasterii attendere; atq; maturè cum Collectore conferre, vt nulla septimana illud vacet, quod autem de Ceruisia superfuerit vsui fratrũ, in tabernam cum scitu Prælati elocabit, & pecuniam, receptam, sine vlla eius distractione, Depositario numerabit capitulariter, in præsentia Prælati in ærarium commune inferendam.

Idem prouidebit diligenter, ac vt tempestiuè, in cellarium deportentur brassica, rapæ, pastinaca, ziser, petroselinum, cepe, & fructus collecti de arboribus cerasa, pruna, poma conseruentur, & vsui quadragesimali prouidè accommodentur.

Salem, pisces siccos, haleces, ligna, tam pro foco, quam pro fornacibus, & braxatorio, vt in tempore prouideri curet Depositarius, solicitè monebit ipsum, & si negligens fuerit, ad Prælatum deferet.

Candelas, scopas, vasa vtensilia, tam pro coquina, quam Refectorio, & vsu fratrum, tam lignea, quam fictilia, & vitrea, idem procurare debebit.

Ad eundem pertinebit, omnes monasterii officinas studiosè perlustrare, & quæ videbuntur in ijs reparatione indigere, artificibus reparanda committere.

Similiter inuentarium omnium rerum, tam quæ ad Refectorium, quàm quæ ad alias officinas spectant, connotare, vtpotè scutellas, orbes, cochlearia, mappas, ollas, verua, crates, similiter equorum domesticorum lora, funes, ephippia, necnon omnia vasa braxatorii cura ipsius erit conscribere.

Ipsius denique officium erit, animalia omnia ad minus quater in anno numerare, & numerata, describere in omnibus prædiis, & quę videbuntur superflua, pro vsu monasterij adduci, aut adferri curare, omnemq; solicitudinem adhibere, vt victualia, quæ Fratribus suppeditari debent, diligenter, ac debitè præparentur; quare diligenter, & ipse attendet, vt quæ coco paranda dederit, ordinatè ad mensam, inferantur, & fercula se præsente, aromatibus condiri faciet, quorum curam, & dispensationem penes illum esse debere statuimus.

CAPVT XXXV.

De Officio Custodis.

VT in Domo Dei, nihil inordinatum existat, eligat Prælatus de Capituli consensu vnum ex Fratribus vitæ probatæ virum, cui committat vestimenta, ornamenta, vasa sacra, & clenodia Ecclesiæ custodienda, atq; omnia quæ pertinent ad diuini cultus officia, quæ quanto sanctiora, tanto maiore sollicitudine sunt seruanda;

Hic solicitus esse debet ne sibi commissa, a tinea, vel rubigine lædantur, vel aliquo modo corrumpantur, quorum omnium Regestum sibi commissorum habebit etiam Depositarius, manu Prælati subscriptum;

Omnes prouentus, ad Ecclesiam, tam census, quam eleemosynas, quouis modo pertinentes Custos percipiet, & Depositario, cùm scitu Prælati præsentabit, qui ab eo pecuniam perceptam in libro distincto pro vsibus Ecclesiæ consignabit, & rationem expensarum ab eo corã Prælato, & quem is ad calculum deputauerit, exquiret singulis anni quadrantibus; quidquid autem necessarium iudicauerit, pro vsu Ecclesiæ semper à Depositario requiret.

Custodis officium est, vt in festis solennioribus, quæ ad Ecclesiæ ornatum peculiarem pertinebunt, mature prouideat, ac ordinet, quæ deinde ornamenta festo, cum sua octaua peracto componet, ac in sua reponet armaria.

Habebit discrimen inter festa, & feriatos dies in promendis vestimentis sacris, vt ad ministerium quotidianum feriatum, simplici, a festorum mediocrium, mediocria, solennium, maximè pretiosa exhibeat.

Si quæ in vestimentis, aut alia sacra supellectili, & vasis sacrificio sacrosanctæ Missæ deputatis rupta, scissa, fracta, aut quomodolibet corrupta, viderit, vt quam tocyus reparentur prouidebit, & ne vnquam sacræ vestes ad alios vsus transferantur, diligenter cauebit.

Ipsius prætetea officium est, panem, vinum, aquam, seuum, ceram, carbones, incensum, ignem, oleum pro lampadibus Ecclesiæ, ac Dormitorii, vt per totam noctem ardeant indesinẽter, sicut, & cereos, cineres, ramos, per Prælatum post benedictionem, iuxta ordinationem Ritualis Romani Fratribus Canonicis distribuendos tempestiuè præparare; Item frondes, flores, salem, aquam ad benedicendum.

Idem, cùm in palmarum Dominica processio peracta fuerit, ramos illos benedictos colliget, & pro cineribus in capite ieiunij faciendis, conseruabit.

Om-

Omnium quoq; librorum ad Officium diuinum deputatorum, vt puta Missalium, Psalteriorum, Breuiariorum, Gradualis, Antiphonarij, Responsorialis, Ritualis curam habebit, & si quis ex eis corruptus, aut laceratus fuerit quàm primùm refici curabit.

Habebit sufficiens inuentarium thesauri totius Ecclesiæ in quo exactè describet aurum, argentum, gemmas, Calices, cruces, monstrantiam, patenas cum valore singulorum. Item campanas æs orichalcum, stannum, ferrum, in caldarijs, siue lebetibus, candelabris, & singulis vasis, ac instrumentis ad cultum diuinum spectantibus, vt potè scutellis, vrceolis, pyxidibus forficibus, & si quæ fuerint similia.

Item planetas, cum suis attinentibus, stola, manipulo, velo, bursa, palla, secundùm numerum vniuscuiusq; coloris cum albis, amictibus, zonis, mappis, tobaleis, corporalibus, purificatoriis, manutergiis, & quibusuis linteaminibus; necnon superpellicea, camisiolas puerorum, & tunicas ad ministerium altaris, spectantes cum biretis, & collaribus accuratè annotatas in eodem libro habebit, sicut, & tapetia, & quælibet peristromata.

Idem habebit curam horologij disponendi, vt horæ debitè ad diuinum officium diurnum pariter, ac nocturnum peragendum obseruentur.

Nihil autem de suprascriptis rebus Ecclesiæ suæ curæ, ac fidei cōmissis extra monasterium, sine speciali Prælati licentia cuiquam præsumat accommodare, sub pœna grauiori. Tenebitur insuper æditum admonere, vt ritè seruiat in Ecclesia, & debitis horis pulset ad Matutinum, horas vesperas, & Completorium, & alia officia, prout tempus exigit similiter, vt libros, calices, vrceolos, sibi præsentatos in numero, ac omnia reliqua studiosè custodiat. Ecclesiam assignatis temporibus aperiat, & claudat altariaque iuxta præscriptum in Rubricis Romani Missalis colorem, ornet, à squalore, telis aranearū, & pulueribus diligenter expurget.

Insuper ad Custodem pertinebit scopas, palangas, scalas, & omnia ad mundandam Ecclesiam pertinentia procurare; cuius parietes quotannis purgari curabit.

Ad eum quoq; cura hæc spectabit, vt decentem locum instruat asseruandæ sacrosanctæ Eucharistiæ, per Parasceuen, & Sabbatum sanctū, siue, vt mos vocare obtinuit sepulchrū Domini, quod concinnè, ac nitidè componet; luminariaque, tam ad expositionem quamlibet Diuinissimi Sacramēti, vt in ea nō minùs quā duodecim ardeāt, quā ad cantādum Fratribus in Choro diuinum officium prouidebit. Similiter, vt species sacrosanctæ Eucharistiæ stare intra octiduum, hyeme intra dies quindecim renouentur, diligentē dabit operā, sub pœna grauiori.

Pro

Pro Sabbato magno spinas, tædas, sulphur, arundinem incensum, cereum paschalem, aquam, sicut, & pro vigilia Pentecostes procurabit; tum, vt quouis die Dominico, aqua ante Laudes, benedicatur, prouidebit, cauebitque diligenter, ne Sabbato magno priùs campanæ pulsentur, quàm in Ecclesia Collegiata B. M. V, sub pœna 100. ducatorum (statuit Leo X. in Bulla) *Sacro approbante*. Corporalia cùm ad lauandam dare voluerit ipse primùm lauabit, & lotionem, siue aquam lotionis in piscinam fundet. Ahenum siue Caldarium fontis baptismalis ipse Sabbato magno lauabit, & aquam lotionis in ossorium effundet, Chrisma vetus comburi faciet, ac nouum tempestiuè procurabit, quæ omnia officia ita disponet, vt absentiæ eius famà Choro ex proposito, non videatur captare. Tenebitur enim omnia Chori officia, sicut, & cæteri Fratres peragere.

Si grauis aliqua necessitas Ecclesiæ reparandæ in tectis, imbricibus, trabibus, incubuerit, ad Prælatum maturè deferet, qui cómunicato cum Fratribus capitulariter consilio, artifices rei peritos arcesset, & illis negotium ex contractu committet,

CAPVT XXXVI.

De Officio Bibliothecarij.

AD obuiandum Monasterij dispendiis, quæ ex librorum custodia negligenti plerunq; possunt contingere, constituatur à Prælato Frater idoneus, qui omnes libros monasterij, prius in inuentario fideliter annotatos suscipiat, & diligenter custodiat, clauesq; ad librariam teneat, quod, vt commodiùs fieri valeat, saltem ter in anno, cùm Prælato magis opportunum videbitur singuli Fratres omnes libros, quos apud se tenuerint, corã Prælato sub pœnam inobedientiæ repræsentent, quos Librarius; & si qui accesserint conscribat diligenter.

Et quia dum libri monasterij passim extraneis personis conceduntur magnum necesse est subeat Domus dispendium, ideo statuimus firmiter obseruandum, vt nullos Librarius ex bibliotheca efferat libros absq; scitu, & licentia Prælati, neque cuiquam det mutuos, nisi cum eadem licentia, meliores, aut æquiualentes, aut competens vadium is relinquat, cui dandi erunt in Bibliotheca. Personarum autem quibus libri fuerint concessi nomina, & librorum inscriptiones, ac titulos, Bibliothecarius habebit annotatos quam annotationem libris restitutis, præsente Prelato (nec aliter, sub grauiori pœna) delebit.

Fratribus in monasterio constitutis vnum, vel plures libros ipse cõcede-

cedere poterit, quoties fuerit oppoitunum nomen Fratris accipientis, & librorum titulum diligenter annotando. Ad eundem pertinet cauere ne libri, qui extra vsum Fratrum fuerint, à tinea lædantur, dum autem à Fratribus libros, quibus vsi sunt repetet, diligenter inspiciet ne in eis sit aliqua enormis macula, siue compactionis corruptela, quæ si notabilis fuerit, Prælato non omittet significare. Habebit autem indicem librorum prohibitorum à Sacra Tridentina Synodo, & eorum, quos sancta sedes Apostolica reprobauerit, ita, vt nullos libros hæreticos, vel authorum hæreticorum in materia profana, vel quosuis alios moribus Christianorum scandalum præbentes, vel spiritum religiosi profectus suffocantes, & extinguentes, nullo modo tenere audeat in bibliotheca, sub pœna excommunicationis, & alijs in librorum prohibitorum indice a sancta Tridentina Synodo, & Pio IV. Romano Pontifice decretis.

CAPVT XXXVII.

De Studentibus.

QVia sacro Canone declarante viris literatis Ecclesia maximè noscitur indigere, cùm non sufficiat bona conuersatio, & morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ, vt ignorantia cunctorum errorum mater propelli valeat ab his præcipuè, quibus incumbit regimen animarum, volumus, vt Prælatus si quos ex Fratribus ad studium habiles in monasterio habuerit, ad Patrum Societatis Gymnasium mittat quibus de libris ad studium necessarijs iuxta Domus prouideat facultatem. Dist. 33. cap. Ignorantia.

Cùm autem imbuti fuerint casibus Conscientiæ, & moralis Theologiæ doctrina, vt per prædicationis officium ad iustitiam, valeant plures erudire ad nutum Prælati poterunt reuocari, alij autem in locum ipsorum deputari. Districtè autem prohibemus, ne aliquis Fratrum accedat ad quæuis studia literarum, nisi à Prælato licentiam obtinuerit, alioquin excommunicationis sententiam ipso facto à iure latam, & in Sexto lib. 3. tit. 24. cap. Ne Clerici, vel Monachi promulgatam incurrant tenoris, vt sequitur.

Vt periculosa religiosis euagandi materia subtrahatur, districtiùs inhibemus, ne de cætero aliquis quamcunq; religionem tacitè, vel expressè professus in scholis, vel alibi temere habitum religionis suæ dimittat, nec accedat ad quæuis studia literarum, nisi a suo Prælato, cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem sibi eundi ad studium licentia primitus

sit

sit concessa, si quis autem horum temerarius, violator extiterit excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.

Nullos pro sacris Ordinibus mittet Prælatus, nisi integro ad minus biennio in Casibus Conscientiæ fuerint exercitati, & aliàs iuxta præscriptum sacræ Synodi Tridentinæ diligenti præcedenti examine habiles, ac idonei comprobentur Sess. 23. de Ref. c. 14.

CAPVT XXXVIII.

De Prædicatoribus.

Trident. sess. 5. de Ref. c. 2.

QVia Christiana Republica maximè necessaria est prædicatio Euangelii, statuit, & decreuit sancta Tridentina Synodus, Prælatum teneri per seipsum si legitimè impeditus non fuerit, ad prædicandum Iesu Christi Euangelium, quoniam verò animarum cura multiplex, quæ illi præcipuè incumbit tanquam Pastori ouium, frequentiùs illum auocare debebit, ab hoc Apostolico munere, vt ordinariè, per seipsum illud exercere, & populo verbum Dei annuntiare minimè sufficiat, ideo generali hac Constitutione sancimus, vt viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum deputet, quos *de vita, moribus, & scientia examinatos, & approbatos personaliter coram Loci Ordinario præsentabit ab eo benedictionem petituros antequam prædicare incipiant, & professionem* fidei in eius manibus si ita ipsi videbitur emissuros. *In Ecclesiis verò non sui Ordinis Loci Ordinarij licentiam habere tenebuntur sine qua in illis nullo modo prædicare poterunt*; secus facientes a Loci Ordinario, etiam censuris coercendi, ac puniendi.

Hi, diebus Dominicis, & festis solennibus tempore autem ieiuniorum quadragesimæ, & Aduentus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus sacras scripturas, diuinamq; legem annunciabunt, & plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pascent salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoq; eis cum breuitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi valeant.

Iidem etiam saltem Dominicis *& aliis festiuis diebus pueros fidei rudimenta, & obedientiam, erga Deum, & parentes diligenter docebunt. Similiter iisdem diebus, frequenter inter Missarum celebrationem ex iis, quæ in Missa leguntur aliquid exponant, atq; inter cætera sanctissimi, sacrificij mysterium aliquod declarent, ac quis sit, & à quo potissimum proueniat eius, tam pretiosus, & cælestis fructus moneantq; populum, vt fre-*

quen-

quouter ad suas parochias saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedant.

Vt fidelis populus ad suscipienda sacramenta maiori, cum reuerentia, atq; animi deuotione accedat vim illorum, & vsum pro suscipientium, captu explicabunt, iuxta formam Catechismi Romani *authoritate* Sancta Synodi *praescriptam, nec non inter missarum solennia, aut diuinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita vernacula lingua singulis diebus festiuis, vel solennibus explanabunt eademq. in omnium cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus inserere, atq; eos in lege Domini erudire studebunt, monebuntq; populum diligenter, teneri vnumquemq; parochia sua interesse, vbi commodè, id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Sess.24.c.7. de Refor. Sess 24. cap.4.

Diligenter quoq. instruent fideles de purgatorio, & animarum fidelium suffragijs, de Sanctorum intercessione, inuocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum vsu, docentes eos, sanctos, vnà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque vtile esse suppliciter eos inuocare, & ob beneficia impetranda, à Deo per filium eius Iesum Christum *Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Saluator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumq; confugere, & alia quae sacrosancta Tridentina Synodus mandat, Sess. 20. De purg. Inuocatione venerat &c.*

Caueant quàm diligentissime, ne errores, aut scandala in populum disseminent. Item apud rudem plebem difficiliores, ac subtiliores quaestiones, quaeq; ad aedificationem, non faciunt, & ex quibus plerunq. nulla fit pietatis accessio, à popularibus Concionibus secludant, incerta item, vel quae specie falsi laborant, nullo modo tractent. Ea verò, quae ad curiositatē quandam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & fidelium offendicula nouerint sibi authoritate Synodi praedictae seuerè prohibita.

Porrò meminerint *vt Euangelicam veritatem, & sanctam scripturam iuxta declarationē, interpretationem, & ampliationē Doctorum, quos Ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, legendosq; hactenus recepit, & inposterum recipiet praedicent, & explanent, nec quidquam eius proprio sensui cōtrarium, aut dissonum adijciant, sed illis semper insistant, quae ab ipsis sacrae scripturae verbis, & praefatorum Doctorum interpretationibus, & sanè intellectis non discordant.* Leo X. in Bulla quae incipit Supernae maiestatis edita in Concil. Later. sess. 11.

Tempus quoq. praefixum futurorum malorum, vel Antichristi *aduentum, aut certum diem iudicij praedicare, vel asserere, nequaquam praesumāt, cum veritas dicat; Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quae pater posuit in sua potestate, nec in sermonibus suis publicis, alia futura, ex literis sacris constanter praedicere, nec illa à* Spiritu S. *vel diuina reuelatione se habuisse affirmare, & alias inanes diuinationes, asseuerando, aut aliis quocunq; modo tractando assumant.*

Si autem contra præmissorum aliquid committere ausi fuerint, vltra pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, eos, incurrere volumus.

Caueant ijdem diligenter ne montes pietatis in Concionibus impugnare audeant, nam qui contra eos *prædicare*, seu *disputare*, *verbo*, *vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis lata sententia pœnam priuilegio quocumq. non obstante, incurrunt iuxta* Bullam *Leonis X*, Inter multiplices.

His in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtiùs inhibemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, nec retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu, seu indulgentias pronuncient indiscretas si quid enim præmissorum attentare præsumpserint, per duos menses subiacebit pœnis, quæ secundùm statuta pro grauibus criminibus, seu culpis consueuerunt imponi, super quibus absq; manifesta necessitate cum eis non valeat dispensari.

Ijsdem præcipimus sub pœna grauioris culpæ, vt iuxta occasionem temporis sermones moderentur, ne ex nimia Concionis prolixitate diuinum officium aliquatenus apocopari contingat.

Statutum sacrosancti Conc. Trid. Sess. 4. diligenter obseruabũt, *quo cauetur ne verba & sententia sacræ scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incãtationes, diuinationes, sortes, libellos, etiam famosos torqueantur*, & quemadmodũ *omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi Dei iuris, & arbitrii pœnis, per Lociordinarium coërcendos, ne de cætero quomodolibet verba scripturæ sacræ ad hæc, & similia vsurpare audeant*, sedulò admonebunt; ita ipsi imprimis, *huiusmodi contemptum, & irreuerentiam sacræ scripturæ*, quàm diligentissimè studebunt euitare.

Dies festos, & ieiunia iuxta ordinem descriptum, & consuetudinem Prouinciæ Gnesnen. & tempora prohibitionis nuptiarum, iuxta edictum sacrosancti Concilii Trident. populo annunciabunt, Bullam, item Cœnæ Domini, bis in anno, dum maior populi multitudo ad diuina conuenerit; vtpote in Festo S. Nicolai, & Feria tertia Paschæ solenniter iuxta mandatum SS. D. Vrbani VIII. publicabunt, sicut, & alios omnes casus reseruatos in Constitutionibus Prouincialibus descriptos.

Res verò perditas, nouas, & curiosas, ac quosuis rumores incertos, nõ promulgabunt, nec quouis modo de suggestu in populum spargent, nisi ea, quæ in processu Domini Lociordinarij habuerint expressa, ad laudes agendas Diuinæ maiestati, vel ad excitandũ populũ ad pœnitentiam, cuius excepta puncta, diligenter plebi iuxta requisitionẽ literarum Cancellariæ commendabunt. In reliquis Epistolæ Macieiouianæ

uianæ Prædicatorum officii, quam studiosissimè obseruare curabunt.

Et quia Presbyteri duplici honore sunt digni, maximè, qui in verbo Dei laborant; ordinamus, vt omnia emolumenta, quæ ipsis occasione prædicationis quouis modo prouenerint, in commune reponant, vt ipsis tempore opportuno, quibuscunque necessarijs eos indigere Præpositus perspexerit, studeat cum diligentia prouidere.

CAPVT XXXIX.

De ijs, qui curam animarum exercebunt.

FRatres, quibus in remissionem peccaminum à Prælato commissum fuerit regimen animarum, diligenter inuigilent, ne plebs sibi credita per ipsorum negligentiam in administratione sacramentorum detrimentum patiatur, proinde statuimus, vt in audiendis Confessionibus subditorum, suæ parochiæ, non se difficiles, præstent, aut morosos, sed sine personarum acceptione more peritorum medicorum, se habeant, contrariaq; vitiis medicamenta, spectata conditione, qualitate, ac ætate personarum apponãt, ac instar Samaritani vulneribus sauciatorum, vinum, & oleum infundant, increpando, scilicet confortando, & monendo, doceantq; pœnitentes, maximè autem rudiores, ex plebe, omnia *peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri oportere*; ita, vt vno tali celato, sacrilega sit confessio, & nullius valoris absolutio. Circumstantias peccatorum, cautè inquirant, & prudenter, prout pænitenti, viderint expedire, ne dum exactiores esse volunt in ijs exquirendis, peccare doceant simpliciores. Audita confessione, pœnitentem ad eliciendum actum contritionis, aut saltem attritionis excitabunt, & si habeant propositum deinceps vitandi peccata inquirent, tum imposita iis salutari pro modo culpæ satisfactione, illos absoluent. Meminerint autem circa impositionem pœnitentiæ, siue satisfactionis, illius admonitionis, & præcepti à sacrosancta Tridentina Synodo in hac re traditi. *Debent Sacerdotes Domini quantum Spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pænitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si fortè peccatis conniuentes, & indulgentius cum peccatoribus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum particeps efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Sess. 14. cap. de Pœniten.

Ibid. c. 7. *Quoniam vero natura & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem illam esse debere, quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam, aut subdelegatam non habeat iurisdictionem.* Quamobrem districtiùs prohibemus, ne quis Fratrum prædictorum in messem alienam immittere falcem, & quoscunque fideles in altera Diœcesi, & aliena parochia, sine approbatione eius loci Ordinarij, in quo ea sita sit, vel ipsius Officij, absoluere præsumat, aut à casibus Summo Pontifici, loci Ordinario, & Prælato suo reseruatis, nisi facultatem obtinuerint.

Teneant quoque, ac diligenter obseruent illam Constitutionem Clementinam lib. 5. de excessibus Prælat. tit. 6. cuius tenor hic est:

Religiosi qui clericis, aut laicis non suis, sacramentum vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniaue solennizare, non habita super his Parochialis presbyteri licentia speciali, aut qui excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessa eisdem, vel à sententijs per statuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatis, seu (vt verbis eorum vtamur) à pœna, & culpa absoluere quenquam præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto per Sedem Apostolicam dumtaxat absoluendi, quos etiam locorum Ordinarij postquam de hoc eis constiterit excommunicatos faciant publicè nunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio priuilegio suffragante.

Scire autem debent se circa absolutionem, quæ hic prohibetur, incursuros hanc excommunicationem in casibus decreto Sacræ Congregationis de mandato Clementis VIII. edito anno 1602. quod incipit, *Sacra Congregatio* prohibitis. Primò si absoluerint à casibus Bullæ Cœnæ Domini. Secundò si absoluerint excommunicatos ob violationem immunitatis Ecclesiasticæ. Tertiò, si absoluerint ob violationem clausuræ Monialium ad malum finem. Quartò, si absoluerint prouocationem, & pugnam in duello. Quintò, ob percussionem Clerici. Sextò, si absoluerint ob simoniam confidentialem, aut realem in beneficijs scienter contractam. Septimò, si absoluerint à casibus reseruatis Ordinarijs locorum, & in Synodali, vel Prouinciali Synodo promulgatis.

Quibus etiam in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtiùs inhibemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, vt sup. de Prædic. Nec cùm confectionibus testamentorum intererunt, à restitutionibus debitis, aut legatis matricibus Ecclesijs faciendis retrahant testatores, nec legata, vel debita, aut malè ablata

ablata incerta sibi, aut aliis singularibus sui Ordinis Fratribus, vel Conuentibus in aliorum praeiudicium fieri, seu erogari procurent. Nec etiam *in casibus Sedi Apostolicae, aut locorum Ordinariis reseruatis quenquam absoluere, aut personas Ecclesiasticas, praesertim coram iudicibus delegatis à Nobis, suam contra eos iustitiam prosequentes vexare indebitè, aut ad loca plura; & praesertim multum remota conuenire praesumant*, sub pœna culpae grauis per duos menses sustinenda, vt sup. in Praedicatoribus.

Caeterùm Praelatus nisi de his, quae occasione praemissorum excessuum ad eum quoquo modo peruenerint, Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis damnificatis, vel laesis satisfactionem plenariam exhibuerit, infra mensem, postquam super hoc fuerit requisitus, suspensionis sententiam vsque ad satisfactionem debitam eo ipso incurrat, non obstantibus praemissis statutis, aut quibuscunque priuilegiis cuiuscunque tenoris existant.

His quoque in virtute sanctae obedientiae, ac sub interminatione maledictionis aeternae, districtissimè prohibemus, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, vt apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel iam electam vlteriùs non immutent. Nos enim si secus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis, statuentes, vt hi qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias vllatenus sepeliri, nec alibi, ne contra votum, iuramentum, aut promissum huiusmodi à se factum materiam habeant veniendi possint eligere sepulturam, sed contradictione quacunque cessante, sepeliantur omnino apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de iure fuissent, si aliàs sepultura non electa forsitan decessissent. Si verò ijdem religiosi, vel Clerici praedictos in suis Ecclesiis, vel cœmeteriis praesumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum, si petantur, quàm etiam omnium, quae occasione sepulturae illorum peruenerint quomodolibet ad eosdem, infra decendium integraliter faciendam ipsos obligatos esse censemus, quod nisi fecerint, Ecclesia ipsa apud quas sepulti fuerint, necnon & cœmiteria earundem, ex tunc eo ipso sint, & tamdiu maneant ecclesiastico suppòsita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium praedictorum.

Tempore interdicti oportet illos valde cautos esse, nam violans interdictum incurrit has pœnas à iure inflictas, irregularitatem, suspensionem, inhabilitatem ad eligendum, postulandumue actiuè, & passiuè, ac remotionem ab officio.

Proinde sciant non licere ministrari Eucharistiam, (nisi morientibus, damnatis ad supplicium, & fœminae praegnanti in periculo constitutae, quae poterit eis cum solennitate solita, campanulae pulsu lumine, & cantu ministrari) nec extremam vnctionem cuiquam, nec matri-

matrimonium in Ecclesia contrahi, aut solennizari, vel benedici. Sepeliri non possunt, laici (Clerici tamen possunt) in loco sacro interdicto, tamen in sepultura Clericorum non pulsantur campanæ, nec vlla solēnitas adhibetur. Sponsa non debet introduci solenniter, nec mulieres post partum cum stola, nec aqua benedicta aspergi. Vasa sacra, corporalia, vestes sacræ, candelæ in die Purificationis, rami in Dominica palmarum, & fons baptismalis in Sabbato sancto benedici nequeunt. Item fieri non potest aspersio aquæ, professio solennis in religione, & processio cum Litanijs.

Hæc tamen tempore interdicti ab homine, vel à iure prolati licitè fieri poterunt, *tam sani, quam infirmi ad pœnitentiam admittantur, (dum tamen excommunicati non fuerint, qui non nisi in mortis articulo admittuntur) exceptis illis quorum culpa, vel dolo, lata est sententia interdicti, nisi primò satisfecerint, vel de satisfaciendo dederint idoneam cautionem, aut saltem iuratoriam, quod cùm poterint satisfacient.*

Item, licet singulis diebus in ecclesiis & monasterijs missas celebrare, & alia officia dicere, sicut prius, submissa tamen voce, & ianuis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, campanis non pulsatis.

In festiuitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ (addit Bonacina ex Angelo, & Syluestro additū a Martino V. & Eugenio IV. diem solemnitatis Corporis Christi cum octaua, & à Leone X. diem Conceptionis B. M. V. simul cum octaua) *campanæ pulsentur, & ianuis apertis, alta voce diuina officia solenniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus ob reuerentiam dictarum solennitatum, ut ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur, præfatis diebus, participationem permittimus diuinorum, sic tamen, quòd illi propter quorum excessū interdictū huiusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquēt.*

Licet etiam tempore interdicti pulsare campanam pro Concione, ad comitandam Eucharistiam, mane, & vespere pro salutatione angelica B. M. V. Verbum Dei prædicari potest, ac debet, publicè in Ecclesia; & post prædicationem, licet sacerdoti pronunciare Confessionem generalem populo. Licet quoque laicis orare priuata oratione in Ecclesia, dum in ea diuina officia cessant.

Violatur interdictum, si laici proprii, vel aliunde aduenientes admittuntur ad diuina, & si audiant de foris voces celebrantium in Ecclesia ianuis clausis, vel si laici perforatis parietibus templi audiunt celebrari diuina.

Violatur item, si pulsetur ad horas, vel aliqua officia diuina, pro conuocandis autem ad ea clericis, signum fieri potest per tabulas.

Caueant etiam, ne sepeliant eos Ecclesiastica sepultura, quibus ea

per

per Canones denegatur, vtpote; *excommunicatos, manifestos vsurarios, pugnantes in duello, & eos qui in torneamentis moriuntur nominatim interdictos raptores, blasphematores Dei, qui seipsos occidunt ex desperatione, qui non sunt confessi semel in anno monachos, & Canonicos Regulares proprium habentes, eos, qui sacerdotem vxorem filijs suis instituit, Iudaos, paganos, haereticos, eorum credētes fautores, ac receptatores, exenteratos, vel diuisos, eos qui post mortem haereseos conuincuntur, & omnes decedentes in notorio peccato mortali.*

Caueant demū ab omnibus tam veteri, quam nouo iure per decreto sacrosancti Concilij Tridentini, & Apostolicis constitutionibus prohibitis, quæ, vt illis innotescant, diligentem operam lectioni Casuum conscientiæ nauabunt, & ex ijs tabellam descriptam tam Excommunicationum in Bulla Cœnæ Domini, quàm aliarum censurarum, & casuum reseruatorum, quisque illotum apud se habebit, ne ob ignorantiam crassam eorum quæ ex officio scire tenetur, & ipse censuras incurrat, & pænitentes inextricabilibus erroribus inuoluat.

Cæterùm cum ex more veteri ad Priorem pertineat habere libros baptizatorum, & matrimonio copulatorū, & in eos nomina ipsorum inferre; Habebit alios duos ex dispositione Ritualis Romani, vnum in quo statum animarum ad curam parochiæ spectantium, alterum in quo nomina mortuorum connotabit.

CAPVT XL.
De Conuersatione Fratrum cum secularibus extra Monasterium.

Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei *cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt cùm enim à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conijciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur: Quapropter sic decet omnino* Clericos *in sortem Domini vocatos vitam moresq; suos componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsq. omnibus rebus, nil, nisi graue moderatū, ac religione pleuū, præse ferant leuia etiā delicta, quæ in ipsis maxima essent effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur quo maxime in Ecclesia* Dei, *& vtilitate, & ornamento, hæc sunt, ita etiam diligentiùs sunt obseruanda; statuit Sancta* Synodus, *vt quæ aliàs à* Summis Pontificibus, *& sacris* Conciliis, *de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaq; retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, allis, lusibus, ac quibuscunq; criminibus, necnon secularibus negotijs fugiendis, copiosè, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in*

posterum

posterum ijsdem pœnis, vel maioribus arbitrio Ordinarij imponendis obseruentur, nec appellatio executionem quæ, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si quæ verò ex his in desuetudinem abijsse compererint ea quàm primùm in vsum reuocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant: non obstantibus consuetudinibus quibuscunq; ne subditorum neglecta emendationis ipsi condignas Deo vindice, pœnas persoluant.

Prælatus igitur memor officij sui, & comminationis à Sacra Tridentina Synodo, in negligentiam emendationis subditorum, pœnarum summi vindicis Dei, omni studio eam in rem incumbet, vt Fratres sui tanto longiùs ab expressis hic vitijs, & quibusuis secularibus negotijs absint, quanto arctiori nexu, se ad custodiendas, & obseruandas sacrorum Canonum sanctiones, in solenni professione vitæ, ac status religiosi, obstrinxerunt.

CAPVT XLI.

De obseruantia Regulæ, ac Constitutionum.

QVoniam non ignorat Sancta Synodus, quantum ex monasterijs piè institutis, & rectè administratis in Ecclesia Dei splendoris, atq; vtilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo faciliùs, ac maturiùs, vbi collapsa est vetus, & regularis disciplina instauretur, & constantiùs, vbi conseruata est perseueret, præcipere, prout hoc decreto præcipit, vt omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres ad Regulæ quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atq; in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiuè essentiam, necnon ad communem vitam, victum & vestitũ conseruanda, pertinentia, fideliter obseruent. Omnisq; cura, & diligentia à superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus, & Prouincialibus, quàm in eorum visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur, cùm compertum sit ab eis non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari, si enim illa quæ bases sunt, & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, totum corruat ædificium necesse est.

Nemini igitur Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscunq. qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, conuentuiq; incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere

etiam

etiam ad vsum fructum, vel vsum administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum ad solos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat. Mobilium verò vsum, ita Superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis quam professi sunt conueniat, nihilq. superflui in eâ sit, nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta sua Regula, & Ordinis constitutiones puniatur.

CAPVT XLII.

De obedientia, Prælato à Fratribus, exhibenda.

PRohibet Sancta Synodus ne quis Regularis sine sui Superioris licentia prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis pii operis prætextu subiiciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, vel communitatis, aut alterius cuiuscunque personæ, seu loci, neque ei aliquod priuilegiũ, aut facultas, ab aliis super iis obtenta suffragetur. Quod si contrafecerit tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtēto repertus fuerit ab Ordinarijs locorum, tanquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem qui studiorum causa ad Vniuersitates mittentur in Conuentibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur. Trid. sess. 25. cap. de Refor.

Cùm autem honestiùs, ac tutiùs sit subiectis debitam Præpositis obediētiam impendendo, in inferiori ministerio deseruire, quàm cum Præpositorum scandalo, graduum altiorum appetere dignitatem, ei, cui ascensus ad sacros Ordines à suo Prælato, ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet extraiudicialiter fuerit interdictus, qui à suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia, de se promoueri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & dignitates, siue honores, restitutio suffragetur.

CAPVT XLIII.

De Visitatione loci Ordinarij.

Triden. sess. 2. de Refor. c. 8.

QVæcunque in Diœcesi ad Dei cultum spectant ab Ordinario diligenter curari, atque iis, vbi oportet prouideri æquum est: propterea commendata monasteria, etiam Abbatiæ Prioratus, & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis obseruantia, necnon beneficia tam curata, quam non curata sæcularia, & regularia qualitercunque commendata, etiam exempta, ab Episcopis etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis annis singulis visitentur, curentque iidem Episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, vt quæ renouatione indigent, aut restauratione, reficiantur, & cura animarum si qua illis, vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia rectè exerceantur, appellationibus quibuscunque, priuilegiis, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore præscriptis, conseruatorijs, iudicum deputationibus, & eorum inhibitionibus non obstantibus, & si in eis vigeret obseruantia Regularis prouideant Episcopi paternis admonitionibus, vt eorum Regularium Superiores iuxta eorum Regularia instituta debitam viuendi rationem obseruent, & obseruari faciant, & sibi subditos in officio contineant, ac moderentur. Quòd si admoniti intra sex menses eos non visitauerint, vel correxerint, tunc iidem Episcopi, vt delegati Sedis Apostolicæ eos visitare possint, & corrigere prout ipsi Superiores possent iuxta eorum instituta quibuscunque appellationibus, priuilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & non obstantibus.

CAPVT XLIV.

De Magistro Nouitiorum.

QVia primordia recens conuersorum blandis fouenda sunt tyrociniis secundùm Canonica instituta, Prælatus Nouitijs, & infra Sacerdotium constitutis proponat virum de Fratribus fidelem instructorem qui eos diligenter informet de Regula, moribus, inclinationibus, & cæteris obseruantiæ Regulæ atque Constitutionum Domus, necnon cæremonijs Ecclesiasticis.

Habebit is iuxta Bullam Clementis VIII. quæ incipit, *Cum ad Regularem*, absolutam potestatem *circa Nouitiorum institutionem, ac No-*

Nouitiatus regimen ita, vt in illis nemini (excepto Prælato) quouis colore se ingerere liceat. Curam verò adhibebit diligentem, vt Nouitij omnes in Regulari disciplina sedulò exerceantur, agnoscantq; diuinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit atque perfecta votorum solemnium, & quàm necessaria Ordinis Constitutionum obseruantia; modum in oratione tum vocali tum mentali fructuosè persistendi; illicitas passiones, & vitia, ad quæ natura per peccatum labefactata, omni tempore prona est atque procliuis, per sensuum custodiam, & mortificationem, cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, præsertim confessionis, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per apertionem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria per modestia in omnibus actionibus, diuturnumq; silentium.

Debebit quoque Magister eos instruere in legendo, cantando, accentuando, & cæteris, quæ ad ipsorum spectant officium, circa lectiones in Choro legendas, & ad mensam, sæpius eos examinando: qui in prædictorum executione desides apparuerint debebit illos primùm benignè corripere, deinde si visum fuerit expedire, seueriùs increpare. In Capitulo tamen non proclamabuntur; sed Magister cum eis distinctum Capitulum tenebit, interdum eos arguendo, vt verecundentur de publica pœnitentia, & discant patientiam, ne tamen omnino concidant animo, frequentiùs benignè tractabuntur. Sin autem Magistro inobedientes, ac rebelles extiterint, nec monitiones ipsius benignas, siue correctiones grato animo susceperint, poterit illos in Capitulo proclamare, vt publicè seueriùs corripiantur.

Præterea vt eo commodiùs valeant instrui, debent quotidie certis temporibus ad nutum Magistri, in loco ipsis deputato seorsum residere, vt si cubi se negligenter habuerint, possit illos liberiùs obiurgare, ac reprehendere.

Ipsius officium erit à Nouitijs excipere confessiones ad minus semel in quindena, diem primum ingressus vniuscuiusque annotare, & necessaria eis ab Officialibus secundùm facultatem procurare.

CAPVT XLV.

De officio Vestiarij.

AD prouidentiam Vestiarij pertinet omnia vestimenta lanea, & linea siue pellicea, seu calceamenta Fratribus procurare, atque cu-

custodiri, suisque temporibus secundùm Regulam excutere, ne à tinea lædantur, rupta siue attrita tempestiuè curare vt resarciantur.

Qui etiam curabit, *vt Fratrum vestitus, & supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis sit Fratrum, & Prælati, statuiq. paupertatis quam professi sunt conueniat, ita vt nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium alicui denegetur. Quæcunque Fratrum vestes siue lanea, siue linea, omnisque alia supellex, in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibique ab eo diligenter custodiantur, vt inde Prælati arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possit.*

Omnes, etiam Prælatus, eodem pane, eodem vino, eodemq. obsonio siue eadem, vt aiunt pitantia, in communi mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint vescantur, neque singulare aliquid, quo priuatim in cibum vtantur, ullo modo afferri possit, si quis in ea re peccauerit nihil ea die alimenti percipiat.

Si quis vestimẽtum nouum postulauerit, priùs vetus exhibeat Vestiario, qui si necesse fore perspexerit, tribuet, quod fuerit tribuendum, si autem viderit superfluũ peti, & diutiùs posse vetus sufficere, si resormetur decenter, conscientiæ Vestiarij sit commissum, ne odio, vel fauore, aut deneget, aut tribuat necessaria, vel superflua. Petentem Fratrem id quod sibi superfluum visum fuerit exhortetur benignè, ne exigat, quod corpori non est necessarium, animæ autem periculosum. *Omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem, accipitur, elationis habet calumniam* causa 21. q. 4. *cap. omnis iactantia* qui si acquiescere noluerit, & pertinaciter in sua petitione perseuerauerit, debet Prælato nunciare, & iuxta Prælati voluntatem facere.

Porrò caueant omnes, ne in receptione vestimentorum subtiliora concupiscant, aut crassiora contemnant, dicentes cum B. Augustino. *Fateor de pretiosa veste erubesco;* Et *Vestimenta non nimis nitida quærantur, ne interiores animæ sordes contrahat nimius appetitus*, ideo suprascripta vestimenta secundùm arbitrium Præpositi lauentur. Cùm autẽ Fratres ad lauandũ dare debuerint, Vestiarius hoc ipsum per aliquod signũ eis indicet, vt quilibet vestes quas lauandas esse viderit, ad locum reponat deputatũ. Prouideat tamen Vestiarius, ne quis vestimentum immundum, velit diutiùs quàm expedit retinere.

Postquam verò vestes à singulis Fratribus sub certo numero receperit, sub eodem eorum vnicuique tribuet lotas. Nullus autem Fratrum quidquam sibi lauari faciet specialiter, sine iusta causa de Prælati licentia.

Vestes Fratrum veteres quæ reponuntur, Vestiarius secundùm ordina-

dina-

dinationem Prelati pauperibus, vel cui visum fuerit, distribuet, calceamenta item, & vestes lineas.

Illius quoque officium erit, post mortem Fratrum quæcunque derelicta fuerint vestimenta, lanea, linea, siue pellicea, ad vestiariam tollere, & si quem de Fratribus aliquo illorum indigere, cognouerit, congruo tempore de licentia Prælati ministrare.

CAPVT XLVI.

De officio Infirmarij.

INfirmorum senum, ac debilium mansio à Prælato *in salubri loco constituatur, quæ pro loci situ, ac Fratrum numero quoad fieri poterit commodissima esse possit, in qua Fratres omnes cum ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperata sanitate abire permittantur*. Quorum iubente Regula, vni Fratrum curam iniunget specialem, vt is de cellario petat quod cuique opus esse perspexerit, omniaque, quoad fieri poterit, sine murmure administret. Caueat is cui ea cura fuerit à Prælato commissa, ne circa prouisionem in ipsorum defectibus, negligentem se præbeat, sed vt maturè illis necessaria prouideantur, diligenter attendat, non tamen ea quæ delectent accommodet, sed quæ sanitati recuperandæ expediant, iuxta Regulam, medici iudicio. Clem. Decr. Reform. Regul. num. 31.

Quoties igitur aliquis Fratrum vrgente infirmitate, siue à Choro, siue a Conuentu egredi compelletur, seniori hoc Fratri Chorum, aut Conuentum tenenti insinuabit, atque licentiam egrediendi petet, qui statim illum Infirmario, vel alteri ex Fratribus, eo absente, commendabit, quem Superior officio expleto visitare debebit, & ægritudinis causa cognita, medicum accerset de cuius consilio infirmarius, omnia iuuandæ valetudini necessaria præparabit.

Si cœperit languor infirmitatis ingrauescere, significabit Priori, vt communis oratio fiat pro infirmo, quòd si vis morbi remiserit, hoc ipsum eidem indicabit, vt oratio terminetur.

Idem prouidebit, vt si non potuerit orare infirmus, horæ Canonicæ, vt per alium coram ipso cum Cursu B.M.V. legantur deputabitque seruitorem, qui assiduè cum infirmo versetur, nec nisi de ipsius licentia egrediatur.

Postquam intellexerit infirmum resumptis viribus non diutiùs debere in valetudinario morari, significabit Priori, vt communi vitæ Fratrum applicetur, vel si, vt conualescat firmiùs, ampliori videatur recreatione indigere, ille discernat diligenter.

Ac vt omnia rite disponantur circa infirmos, frequenter eis aderit Infirmarius præcipuè in prandio, & collatione, vt, quod pro illorum infirmitate releuanda necessaria fore cognouerit, exactè procuret, aut ne sensualitate ducti cibo, vel potu vltra medici præscriptum sumpto grauentur, consideret.

Si non sint infirmi debilitati notabiliter, aut decumbentes, legant pro spirituali consolatione vitas Patrum, & exempla Sanctorum.

Tenetur eos admonere ad crebram sacramentorum susceptionem, qui si salutis suæ immemores, monitioni eius non obtemperauerint, Prȩlato manifestare.

Ad Infirmarij quoq; curam spectabit, luminaria tempestiuè non pro infirmis duntaxat, sed pro Fratribus ad prandium, & studendum, prouidere temporibus opportunis.

Officiales autem solicitè videant, ne quod dare debent, aut possunt, qualibet dissimulatione, aut tenacitate subtrahant, præsertim infirmis, seueram rationem districto vinorum, & mortuorum iudicij reddituri.

Fratres cæteri, omnem erga infirmos charitatem exhibebunt, frequentiùs eos de licentia superioris visitando, exemplis sacræ scripturæ ac sanctorum Patrum consolando, ad patientiam exhortando, & aliquibus historiarum narrationibus, iucundis, cum omni religiosa modestia exhilarando, nunquam tamen apud eos collationem faciendo, aut sessiones prorogando.

Deniq; ad Infirmantium pertinebit, quotiescunq; Fratres balneari, aut radi debuerint, aut sanguinem minuere, omnia necessaria studiosè sine murmure, procurare. Quia verò, & secundùm Canones, & iuxta leges, absurdum est, vt promiscuis, actibus, rerum turbentur officia, ad tollendam eorum confusionem, prouidebit seriò Prȩlatus, ne vni personæ plura iniungat officia, quæ se simul non compatiuntur.

CAPVT XLVII.

De infirmorum Viatico, & extrema vnctione.

QVi feliciter mori desiderat, sacramentorum deuota perceptione, contra hostes inuisibiles studeat se communire. Frater itaque, vi doloris ingrauescente contrito corde Prælato, siue cui cõmiserit ille, generalem faciat de peccatis suis confessionem, & proponat firmiter, si Dominus sibi sanitatem contuleri, vitam emendare.

Facta Confessione Sacramentum Eucharistiæ, ac extremæ vnctionis, quod petere debebit, eidẽ pro viatico ministretur. Infirmarius autem

Priori, aut eius vices gerenti desiderium hoc ipsius nunciabit, qui conuocatis Fratribus ad ipsum processionaliter ingredietur, duobus iunioribus Fratribus, cum cereis, & nola præcedentibus superpelliceo, ac stola indutus, ferens sanctissimum sacramentum subsequitur, quod illi iuxta præscriptum Ritualis administrabit, omnes deinde processionaliter ad Ecclesiam reuertentur.

Et quia hostis antiquus calcaneo hominis potissimùm insidiatur, ideo statuimus, vt postquam Frater aliquis inunctus fuerit magna cum diligentia illi Fratres assistant ex ordine, quem incipiet Prior, & primus hanc custodiam obibit per mediam diem, & noctem mediam, deinde iunior aliam partem noctis, & diei vigilabit, & sic consequenter per ordinem, senior, & iunior, continuam obseruabunt vigilantiam assidentes infirmo, ita, vt à Choro, tum vnusquisq; assidentium liber fit in sua vice, ne improuisus obitus Fratris eueniat, sed tunc coram eo Canonicas horas, quibus in Choro interesse deberent, legant.

Imago Crucifixi ante faciem eius constituatur, & lumen vsq; ad diem claram non extinguatur.

Si tamdiu superuixerit infirmus, vt Conuentus alternas vices in eo custodiendo expleuerit, iterum inchoabit iuxta eundem ordinem vigiliam, vsq; ad horam extremi agonis infirmi, vel ad ægritudinis euidentem relaxationem, in qua si perfectam fuerit consecutus sanitatem, & vires pristinas recuperauerit indicabit Prælato Infirmarius, vt eum vitæ communi, & dormitorio Fratrum accommodet.

CAPVT XLVIII.

De Suffragiis pro Defunctis.

Commune Charitatis Christianæ officium defunctis Fratribus impendi tanto magis decet ab ijs, quos religiosæ vitæ societas in præsenti vita, nexu arctiore colligauit. Cùm igitur ex hac vita migrare quempiam Canonicorum contigerit, antequam extremò colluctari agone incipiat infirmus Sacerdos, qui tunc præsens iuxta superius statutum aderit, vicinum tempus mortis diligenter faciet intimari Priori, vt is pulsu Fratres conuocet ad commendationem animæ iuxta Ritualis, & Breuiarij Romani præscriptum faciendam. Cadauer defuncti curabunt ablui Fratres à Priore deputati, & habitu, quo in Choro diebus ferialibus, vti cõsueuerat indui, stola si sacerdos fuerit superaddita. Prælatus autem habitu celebrantis, planeta, siue casula superindutus esse debebit.

Ablu-

Ablotum, & vestitum, vt præfertur, cadauer ad locum idoneum deferatur, vbi ad minus quatuor lucentibus cereis, & Fratribus viritim ex ordine Defunctorum vigilias decantantibus, permaneat, donec integer naturalis dies horarum viginti quatuor intercedat.

Postridie illius diei, hora, per Prælatum, aut si is obierit, per Priorē, aut Fratrem seniorem designata, Canonici omnes superpelliceis, & almutijs amicti, officium Defunctorum cantabunt, pulsatis, trina vice, vt mos est campanis, funusque ducent cum processione circa Ecclesiam solenni, inuitatis omnium Regularium Ordinibus, atq; omnes die illo missam pro anima defuncti absoluant, ijs duobus exceptis, quorum vnus Missam de B.M. Virgine alter Conuentualem cantare obligati erunt. Deinceps autem singuli sacerdotes septem sacra, pro anima Prælati decem sint obstricti legere, Clerici decies officium defunctorum, aut triginta Coronas B.M.V. recitabunt. Ordinamus item vt, præter Missam, quæ singulis septimanis feria secunda pro Fratribus ad altare priuilegiatum dici consueuit singulis anni mensibus anniuersarium trium nocturnorum cum Missa cantata, & solenni campanarum pulsu celebretur.

Habebunt præterea Fratres vnum anniuersarium cum vigilijs nouem lectionum, & missis Defunctorum, pro suis Parentibus, benefactoribus, & amicis primo quoque die mensis Octobris, singulis annis, festo nouem lectionum, non occurrente.

Statuimus deniq; vt quoties Officium Defunctorum ex præscripto Breuiarij Romani, dicendum fuerit, tam Vesperas, quàm nocturnum in Choro Fratres recitent. Ad quod officium per Aduentum Domini, & quadragesimam, sub prandii priuatione volumus Fratres obligari.

Quoties anniuersarium in Diem Dominicum, vel festum celebre inciderit, sabbato præcedenti decantabitur.

Statuimus item, vt præscriptum Ritualis Prouinciæ Gnesnensis, diligenter obseruetur, nempe, vt singulis Dominicis post quatuor tēpora proximis Processio circa, vel intra Ecclesiam, ritu ibi descripto, peragatur, populusq; de huiusmodi officio, maturè in Concione præmoneatur.

CAPVT XLIX.

De Capitulo Generali.

VT Prelatus ad corrigendos, & reformandos mores prudenter, & diligenter intendere valeat, statuimus obseruandum perpetuo; vt singulis annis semel videlicet in festo S. Ioannis Baptistæ cum continuatione dierum sequentium, Capitulum generale in Monasterio cele-

celebretur, ad quod Rectores Ecclesiarum monasterio subiectarum debent conuenire, vnà cum Fratre, sibi deputato, qui Frater excessus Rectoris, & Fratrum, si plures ad Ecclesiam existant, & audeat nunciare; vt his, & alijs prout vtilitati, & honestati congruit remedia opportuna possint adhiberi.

Prima itaq; die Prælato cum Fratribus in choro congregatis, celebretur Missa de Spiritu S. in qua pro salubri tractandorum decisione illius gratia imploretur deuotiùs.

Ea finita locum Capituli celebrandi postquam fuerint ingessi, cunctis sedentibus ordinatè breuis exhortatio fiat, quam facturus Frater benedictionem à Prælato petat, deinde electis, Definitoribus legatur præsens Caput habitoq; primùm tractatu de Domibus monasterio subiectis, Officiales Monasterij officia sibi iniuncta sponte resignent ad manus Prælati, in quibus, si quis fuit antea negligens, secundùm discretionem Prælati corrigatur, & corripiatur, & si minus habilis ad officium tale Prælato visus fuerit, alius idoneus in ipsius locum substituatur;

Quia verò Canonici Regulares, secundùm sacrorum Canonum traditiones, generale Capitulum admodum aliorum Religiosorum debent ordinare, idcirco, vt singula reformanda effectum suum commodiùs sortiantur; Volumus, vt Prælatus cum ipso Capitulo quatuor Fratres circumspectos, & idoneos in Definitores eligat, qui cum ipso præsint Capitulo generali, & sine acceptione personarum, tàm in Capite, quàm in membris corrigant, & reforment, quæ videantur corrigenda, *vt qui similem, cum alijs vitam suscipiunt similem sentiant in legibus disciplinam*. Quodcunq; actum, vel conclusum illis approbantibus quatuor fuerit, modò præsentibus, & alijs quibusuis Apostolicis constitutionibus, non repugnet; inuiolabiliter obseruetur.

lib. 3. Decret. tit. 35. de stat. Monac. cap. 7. In singulis Trid. sess. 25. De regular. cap. 8.

Si quis Rector Ecclesiæ ad generale Capitulum venire contempserit legitimè, non impeditus, vel præsens pro suis excessibus denunciatus veniã petere, ex pœnam inflictam recusauerit subire, aut quod absit, ordinationem pro Domo sibi commissa suscepere noluerit, Canonica monitione præmissa excõmunicationis sententia innodetur, quã si animo indurato, quod absit, non curauerit, ex tunc ad ipsius Depositionem ab administratione sibi commissa, rigidiùs procedatur, appellatione quacunq; non obstante, cum ius Diuinũ in talibus appellationibus diffugium, non admittat penitusq; viam appellandi præcludat.

Si verò aliquis Fratrum prædictis contumaciter contradixerit, iuxta dispositionem Regulæ de Fratrum societate proijciatur. Et si quẽquam officialium siue Fratrum in eiusmodi pertinacia decedere contigerit talem omnibus suffragijs carere, volumus fieri solitis pro Fratribus

tibus de fustis, & in aemorum aliorum Ecclesiastica sepultura careat iuxta causam 33. q. 2. in principio. *De communione privatis, & ita de fustis, horum causa iudicio Dei reservanda est, cuius manu facti. Vt tali ubitur, non usq; ad communionis remedium differetur, nos autem, quibus viuentibus, non communicamus, mortuis communicare non possumus.*

CAPVT L.

Concilij Tridentini Constitutionum obseruandarum praeceptum.

Trident. sess. 25. de Regul.

H*Aec omnia, & singula in superioribus decretis, contenta, obseruari Sancta Synodus, praecipit in omnibus cœnobijs, ac monasterijs, collegijs, ac domibus quorumcunq; Monachorum, ac Regularium, necnon quarumcunq; sanctimonialium Virginum, ac viduarum, etiamsi illae sub gubernio militiarum, etiam Hyrasolimitanae viuant, & quocunq; nomine appellentur, sub quacunq; Regula, vel constitutionibus, & sub Custodia vel gubernatione, vel quauis subiectione, aut annexione, vel dependentia cuiuscunq; Ordinis mendicantium, vel non mendicantium, vel aliorum Regularium monachorum, aut Canonicorum, quorumcunq; non obstantibus eorum omnium, & singulorum priuilegijs, sub quibuscunq; formulis verborum conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon constitutionibus, & regulis, etiam iuratis, atq; etiam consuetudinibus, vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui vero Regulares, tam viri quam mulieres sunt, qui sub arctiori regula, vel statutis viuunt excepta facultate habendi bona stabilia in communi eos ab eorum instituto, & obseruantia Sancta Synodus amouere non intendit. Et quia Sancta Synodus desiderat, vt omnia, & singula supradicta quamprimum executioni demandentur praecipit omnibus Episcopis, in Monasterijs sibi subiectis, & in omnibus alijs ipsis in superioribus decretis specialiter commissis; atq; omnibus Abbatibus, & Generalibus, & alijs superioribus Ordinum supradictorum, vt statim praedicta exequantur. Et si quid executioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia Prouincialia suppleant, & corrigant, Regularium verò Capitula Prouincialia, & Generalia; & in defectu Capitulorum generalium Concilia Prouincialia, per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis prouideant. Hortatur, etiam sancta Synodus omnes Reges, Principes, Respublicas, & magistratus, & in virtute sanctae obedientiae praecipit, vt velint praedictis Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & caeteris praefectis in superius contenta reformatione exequenda suum auxilium, & authoritatem interponere quoties fuerint requisiti, vt sine vllo impedimento, praemissa rectè exequantur ad laudem Dei Omnipotentis.*

COM-

COMPLANATIO.

Inter Adm. R. D. Stephanum Damaluicz S. T. D. Domus Canonicæ Calissien. ad S. Nicolaum Præpositum, & Dominos Canonicos eius Professos, super fideli, et accurata omnium, et singulorum punctorum in submissione coram Illustriss. et Reuerendiss. Principe, ac D. D. Andrea Comite à Leszno Dei, et Apost. Sedis gratia Archiepiscopo Gnesnen., Legato nato, Regni Poloniæ Primate, primoq́; Principe facta, expressorum.

In nomine Domini. Amen. *Ad perpetuam rei memoriam.*

NOs Gabriel Gratianus Miloszeuuski Prothonotarius Apostolicus, Abbas Tremesn. Canonicorum Regularium Lateranen. S. R. M. Secretarius, Albertus Radlicz Custos Lipsceñ in Chocz Officialis Calissieñ. Melchior Mstouuicz Præpositus Scalmiricen. Decanus Ruralis Calissien. Matthias Geclerus sacra authoritate Apostolica publicus Notarius, Plebanus in vtraque Dobrzecz ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Principe, ac Domino Andrea de Leszno Comite, Archiepiscopo Gnesnen., Legato nato, Regni Poloniæ Primate, primoq. Principe, ac Domino Clementissimo, Commissarij ad infrascriptum negotium specialiter deputati.

Significamus vniuersis, ac singulis, quorum interest, aut interesse quomodolibet poterit. Quomodo anno à Natiuitate Domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Innocentij Decimi diuina prouidentia Papæ fęliciter moderni anno ipsius decimo indictione Romana septima die 26. mensis Iunij, hora circiter vndecima in medio horologio, in Cœnobio Canonicorum Regularium Calissien. ad S. Nicolaum in loco Capitulari constituti, vocatis Canonicis, ad sonumq. campanæ vti mos est congregatis, ex Cancellaria Illustrissimi Domini nostri prælibati, cum ea qua par est reuerentia, exhibitas nobis ab A. R. D. Stephano Damaleiecz S. T. D. loci prædicti Præposito, literas recepimus, atque ad earum executionem procedendo, iuxta tenorem submissionis factæ dictorum Canonicorum, coram Actis Curiæ Illustriss. D. Archiepiscopi Gnesnen. in anno Domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, 9. mensis Iulij cum ex omnibus sigillatim domus eius Canonicis quæsiuissemus, Vellentne per omnia submissioni suæ parere, in omnibus punctis, & articulis, & vnanimiter se, nemine penitus contradicente, velle obtemperare asseruissent, ab inquisitione super vita, & moribus singulorum, supersedendum esse diximus, plenam correctionem Cœnobij Admodum Reu. D. Præposito relinquentes, ratificatio-

catione huiusmodi submissionis ipsorum contenti, paternè illos cohortati, vt vnanimes habitent in Domo Domini. Ne autem facilè zizania mutuorum dissidiorum repullulent deinceps, prouida cogitatione intenti, hanc inter Admodum Reu. Dominum Præpositum, & Canonicos complanationis viam adinuenimus, vt omnia officia ad nutum A.R.D. Præpositi gerantur, iuxta dispositionem SS. Concilij Tridentini, & spiritus eius in regimine non contristetur, ille autem ad iracundiam non prouocet filios, sed potius paterna benignitate foueat. Quoniam an verò tenues sunt Domus eius reditus, & magna pars eorum industriæ adscribi debet, quam in Oeconomica re præ senectute commodè gerere nequit ipse Præpositus, commisit eam curam eligendo per Capitulum generale Administratori, seu Oeconomo modo sibi pro vestitu, medicina, & alijs occurrentibus necessitatibus ab illo trecenti, pendantur floreni, siue centum taleri quotannis, quod Canonici omnes libenter se facturos submiserunt, nemine penitus contradicente. Porro ne grauis sit in repetenda summa, vnam ratam pro festo S. Martini Episcopi & Confessoris, alteram pro festo Paschatis, tertiam pro festo S. Bartholomæi recipiet, nisi euidens necessitas, aut morbus anticipationem vrgeat, non derogando successoribus Præpositis, in quantum ipsi vellent rem Oeconomicam tractare. In quorum fidem manibus nostris præsentem complanationem subscripsimus sigillisque muniuimus. Actum anno, die, quibus supra. Præsentibus Admod. Reuerendis Dominis D. Baltasaro Karczeuicz Parocho, & Decano Varten. Iosepho Stempartio Ecclesiæ Collegiatæ B.M.V. Calissien. Altarista.

Et quia ego infrascriptus Matthias Geclerus Parochus in vtraque Dobrzecz actu presbyter, publicus Notarius vnà cum prænominatis testibus præsens interfui eisq. sic vt præmittitur, fieri vidi, & audiui, ideo præsentem scripturam, siue viam hanc complanationis subscripsi signoq., ac cognomine meis solitis (quibus in talibus vtor) communiui, quatenus de, & super his publicum Instrumentum, siue plura conficerem, & extraderem rogatus, & requisitus.

Locus † signi. *Idem qui sup. publicus Not. manu prop.*

Collationatum cum ipso originali concordat.

Matthias Geclerus Sacr. authoritate Apost. publ. Not. manu prop.

Ita est Gabriel Miloszurski Diuina vocatione Abbas Tremesnen. ad suprascripta Commissarius fidem facio manu prop.

Locus † sigilli.

Ita est Albertus Radlicz Custos Lipscēsis in Chocz Officialis Calissien. ad suprascripta Commissarius manu propria.

